



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quellen zur Geschichte des Augustinerchorherrenstifts Frenswegen

Löffler, Klemens

Soest, 1930

I. Die Chronik von 1494

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67957)

L

Die Chronik von 1494.

Incipit prologus in librum de fundatione monasterii Nemoris beatae Mariae iuxta Northorn.

Cum rerum gestarum ordo ab hominum memoria ocius deperat, nisi res ipsas ad futurorum notitiam literarum vivacitas reduxerit, hinc est, quod nos ordinem fundationis monasterii Nemoris beatae Mariae virginis prope Noirthorn, quod alias Vren-deswede dicitur, ab hominum notitia excidere nolentes ad Dei gloriam et piae virginis honorem ac legentium et audientium aedificationem aliqua inde, prout melius poterimus, succincte breviterque conscribere curamus, Ruth Moabitidis industriam pariter et diligentiam imitantes¹⁾. Haec namque cum messis ubertate careret, post terga metentium spicas, quae ipsorum manus effugerent, sicubi patrisfamilias in se clementiam reperire posset, colligere exiit ac sategit. Unde propter suam probitatem ac diligentiam et Boos familiae convivari et ipsi tandem matrimonio copulari meruit. Mystice Boos Deum, Ruth vero pauperem religiosum significat. Interpretatur enim Boos, in quo virtus sive in ipso fortitudo, cui in psalmis dicimus „*Diligam te, Domine, fortitudo mea et refugium meum es tu*“²⁾ et „*Deus noster refugium et virtus*“³⁾ etc. Ruth videns seu defectio vel festinatio dicitur et religiosum pauperem significat iuxta illud Threnorum tertio „*Ego vir videns paupertatem meam*“⁴⁾. Et videns se deficientem dicit „*Defecit in salutare tuum anima mea*“⁵⁾ et „*Defecit caro mea et cor meum*“⁶⁾. Unde ad Deum festinat dicens: „*Domine, refugium factus es nobis*“⁷⁾. etc.

¹⁾ Die Vergleichung mit Ruth scheint um jene Zeit den Chronisten nahelegen zu haben. Auch Hermann von Lerbeck braucht sie in der Vorrede zu seiner Mindener Bischofschronik (meine Ausg. S. 19).

²⁾ Psalm. 17, 2.

³⁾ Psalm. 45, 2.

⁴⁾ Thren. 3, 1.

⁵⁾ Psalm. 118, 81.

⁶⁾ Psalm. 72, 26.

⁷⁾ Psalm. 89, 1.

Magnus iste Boos agrum mundum, messorum angelos et sanctos habet. Qui etiam in territorio Benthem singularem locum elegit tamquam agrum primitiarum, quem adiutorio colit et gratia compluit, monasterium in eo erigens et famulos sibi in eo colligens, qui fructum afferant, et fructus eorum maneat. Hunc locum beatae virgini Mariae dedit et intitulavit eiusque provisioni, protectioni et patrocinio commisit, unde et tria altaria in oratorio illi erexit locumque monasterium Nemoris beatae Mariae virginis nuncupavit. Nec desunt arbores, segetes et aviculae. Arbores enim sunt hi, qui spe, desiderio et contemplatione ad superna et coelestia protendunt. Segetes vero sunt, qui inibi alii fructum tricesimum, alii sexagesimum, alii centesimum in patientia afferunt. Aviculae sunt, qui nocte et die, corde et voce simul coeli regem venerantes virginis et matris iubilantes nobilis hymnum de dulcibus canticis Syon iugiter modulantur. Hinc ergo Boos ille potentissimus et summus plenam per messorum angelos et sanctos messem colligit, qui singulorum merita etiam minutissima dispungit et copiosissima pro his praemia accumulatur. Cuius, ut Matthaei tertio dicitur, *ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam et colliget triticum in horrea sua, paleas autem comburet igni inextinguibili*¹⁾. Vae ergo eis, qui se in his paleas exhibuerint.

Nos vero interim cum Ruth paupercula spicas, quae metentium manus fugerint, exemplar scilicet pietatis, caritatis, humilitatis, oboedientiae et huiusmodi, quae ad nos pertingere potuerunt, quamquam non omnia, sed paucula colligamus tamquam fragmenta et spicas, ne pereant, ut et inter veri Boos convivas deputari et eidem tandem in gloria desponsari mereamur iuxta illud Ozeae secundo: „*Desponsabo te mihi in fidem et desponsabo te in iustitia et iudicio et misericordia et miserationibus*”²⁾ et Iheremiae tricesimo primo „*In caritate perpetua dilexi te, imo attraxi te miserans*”³⁾. Si enim diversorum vitas et exempla sanctorum quamvis longe positorum caro, ut decet, affectu amplectimur et veneramur, quanto magis illorum virtutes, cum quibus viximus et in quorum labores et bona introivimus, et diligenter recolligere et frequenter relegere, affectuose ruminare, fiducialiter referre, studiose imitari debemus?

¹⁾ Matth. 3, 12.

²⁾ Osee 2, 21.

³⁾ Jerem. 31. 3.

Haec ergo parantes hunc ordinem faciamus. Primum de huius benedicti monasterii tam in temporalibus quam in spiritualibus fundatione, deinde de quorundam in via Dei vacillatione et titubatione, demum de diabolica impugnatione, sed et divina protectione.

In primo singuli habent, unde in Dei servitio sint ferventes et benefactoribus et fundatoribus grati et fideles, in secundo ignavi et rebelles habent, quod timeant et ut se corrigant et emendent, in tertio invidi et impugnatores et gravantes habent, unde terrentur et desistant, ne in corpore et in anima Dei vindictam et ne temporalem et aeternam a virgine Maria maledictionem incurrant secundum illud primi Regum secundo capite „*Qui contemnunt me, erunt ignobiles*¹⁾ et Deuteronomii tricesimo secundo „*Et vindictam retribuet in hostes eorum et propitius erit terrae populi sui*“²⁾ et Judith sexto decimo, „*Vae genti insurgenti super genus meum, Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die iudicii visitabit illos*“³⁾ etc. E contrario vero iuvantes, promoventes et defensas obsequium Deo et beatæ virgini præstant gratissimum, unde et benedictionem sibi ab eis amplissimam accumulunt iuxta illud „*Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum*“⁴⁾.

1) 1. Reg. 2, 30.

2) Deuteron. 32, 43.

3) Judith 16, 20.

4) 1. Reg. 2, 30.

Incipiunt capitula primae partis de monasterii fundatione.

De primaria institutione monasterii Nemoris beatae Mariae
et de nobili comite Bernardo cap. 1¹⁾.

De conversione domini Hinrici Crul et de Margaretha Kerck-
hoves cap. 2.

De domino Everardo de Eza cap. a) 3 a).

De multiplici miraculosa loci praeostensione cap. 3. [!]. Visi-
ones.

De singularissima monasterii huius electione revelatio. Cap. 4.

De loci confirmatione et de resistentium remotione cap. 5.

De oratorii erectione et altaris ac cimiterii consecratione
cap. 6.

De primo priore Hinrico Kyndeshof et de illius fervore cap. 7.

De priore Hermanno Plettenborch cap. 8.

De pestilentia et de morte prioris Hermannii cap. 9.

De fratre Herpone supprioris cap. 11 [!].

De beatae Mariae virginis visitatione et infirmorum conso-
latione cap. 12.

De Dirico de Huxaria et de coelestibus circa ipsum exequiis
cap. 13.

De Hinrici Posteken visione ac sanatione cap. 14.

De Dirico de Brabantia et de illius gratia ac diligentia cap. 15.

De Johanne de Moguntia cap. 16.

De suavi odore in infirmitorio cap. 17.

De fratre Vulfardo ex Monte sanctae Agnetis cap. 18.

De magno primitivorum fervore cap. 19.

De primo fervore imitando et non declinando ad laxiora
cap. 20.

a) *Später hinzugefügt.*

¹⁾ *Die folgenden Kapitelzahlen stimmen mit denen im Texte nicht ganz
überein.*

De multis malis eorum, qui in religione dissolute vivunt,
cap. 21.

De comite Bernardo et beneficiis illius et morte cap. 22.

De nobili principe Arnolde de Guterswych cap. 23.

De praeclaro comite Everwino cap. 24.

De domino Hinrico Crull cap. 25.

De Johanne de Beveren cap. 26.

De Johannis conversione cap. 27.

De temporalium distributione cap. 28.

De illius egressu e Babylone cap. 29.

De cordis eius puritate cap. 30.

De Johannis uxore, in Dypenvene moniali, cap. 31.

De Bernardo de Asbeke cap. 32.

De Nicolao de Beveren cap. 33.

De Johanne Voet cap. 34.

De Johanne Monick cap. 35.

De quodam puero obsesso cap. 36.

De laici cuiusdam confessione cap. 37.

De magistri Hinrici de Brabantia conversione cap. 38.

De illius fervore cap. 39.

De Matthia clerico cap. 40.

De patre Theodrico de Vyanen cap. 41.

De Johanne Gronyngen cap. 42.

De Wilhelmo Stoppendael cap. 43.

De Johanne pellifice cap. 44.

De Aegidio de Creveldia cap. 45.

De patris Hinrici Loder electione cap. 46.

De illius circa temporalia sollicitudine cap. 47.

De eius strenuitate in corripiendo cap. 48.

De humanitate illius ad hospites cap. 49.

De illius misericordia ad pauperes cap. 50.

De zelo eius ad religiosos reformandos cap. 51.

De gratiosa subditorum conversatione cap. 52.

De prioris Hinrici destitutione cap. 53.

De Arnolde Doesborch suppriori cap. 54.

De Petri Yegher tentatione cap. 55.

De patre Walramo cap. 56.

De Johanne de Ludichusen cap. 57.

De Hermanno ten Zyl cap. 58.

De patre Bartoldo cap. 59.

De patre Wilhelmo Keppel cap. 60.

- De Wenero opilione laico cap. 61.
De Dirico de Heeck cap. 62.
De fratre Reynero Snavel cap. 63.
De priore Huberto Traiectensi cap. 64.
De Alberto suppriori Monasteriensi cap. 64 [!]
Quorundam virtuosorum commemoratio cap. 65.
Priorum ac fratrum de primo centenario epilogatio cap. 66.
-

Incipiunt capitula secundae partis huius libri.

- De quorundam vacillatione cap. 1.
De duobus clericis suspensis cap. 2.
De iuvene submerso cap. 3.
De aliis duobus male pereuntibus cap. 4.
De quodam clerico titubante cap. 5.
De clerico decedente cap. 6.
De clerico parentes visitante et seducto cap. 7.
De veste saeculari reprehensio. Cap. 8.
Cuiusdam laici irresignati lapsus, revelatio, exhortatio, cap. 9.
De quodam laico, qui ferventer incepit, sed recidivavit,
cap. 10.
-

Incipiunt capitula tertiae partis huius libri.

- De diabolica impugnatione, sed divina protectione cap. 1.
De repentina cuiusdam morte cap. 2.
De avvocato saeviente occiso cap. 3.
De simili morte Torneye cap. 4.
De servo in amentia pereunte cap. 5.
De Arnoldi Brantlicht interitu cap. 6.
De miseria Rodolphi de Covordia cap. 7.
De Bertholdo Herthe in equis correpto cap. 8.
De alia protectione contra diversos cap. 9.
De obcaecatione et stupore Arnoldi Brantlicht cap. 10.
De quibusdam volentibus depraedare [!] cap. 11.

De eodem cap. 12.

De gratissima beatae Mariae virginis assistentia et defensione
cap. 13.

Coelestis exercitus videtur missus. Cap. 14.

De obsidione Novae Domus cap. 15.

De Woltero de Covordia superato cap. 16.

De alia vindicatione cap. 17.

De praedictorum confirmatione cap. 18.

De opusculi conclusione cum exhortatione et apologia cap. 19.

Incipit pars prima.
De primaria domus institutione et de nobili
comite Bernardo
capitulum 1.

Anno gratiae millesimo trecentesimo nonagesimo quarto divino favore sollicitantibus ac satagentibus piis viris ac dominis venerabilibus, domino Henrico Crul et Everhardo de Eza¹⁾, nec non et nobili comite de Benthem Bernardo benefaciente monasterium Nemoris beatae Mariae virginis prope Noirthorn fundari coeptum est.²⁾ Istorum ergo virorum, quorum memoria in benedictione est, primum virtutes recensendae videntur.

In primis inclytus ille ac nobilis comes Bernardus inter fratres suos posterior natus fuit, sed animi virtute nequaquam segnior. Filius praeclari Johannis comitis de Benthem nec non illustris coniugis eius Elizabeth³⁾, quae et ipsa filia erat magni ac nobilis domini Symonis de Lippia, de quo magnalia referuntur. De his ergo natus est comes Bernardus anno dominicae incarnationis millesimo trecentesimo tricesimo. Fuerunt ei et alii tres fratres seniores⁴⁾, Symon, Otto et Christianus, sed et quatuor⁵⁾ so-

¹⁾ Mit diesen beiden Männern werden wir noch näher bekannt gemacht.

²⁾ Die übrigen, zum Teil auf unserer Chronik beruhenden Berichte über die Gründung des Stifts hat Jung, Cod. dipl. Nr. 126 S. 254 ff. zusammengestellt.

³⁾ Sie hieß nicht Elisabeth, sondern Mechtild und war in der Tat die Tochter Simons I. von der Lippe. Der Zweifel, ob sie nicht vielleicht dessen Schwester gewesen sei, wird erledigt durch die bei Preuß-Falkmann, Lippische Regesten, Bd. 2 Nr. 594, 650, 695 mitgeteilten Urkunden.

⁴⁾ Vielmehr vier. Es fehlt der dritte Johann, der 1324 urkundlich vorkommt, aber wohl früh gestorben ist (Jung S. 281 und Cod. dipl. Nr. 62 S. 125).

⁵⁾ Vgl. Jung S. 282 ff. Urkundlich kommen nur Hazeke (Hedwig), Tale (Adelheid) und Lise vor (Jung Cod. dipl. a. a. O.). Dazu kommt vielleicht Margaretha.

rores, quarum tres erant abbatissae, una in Heerze¹⁾, alia in Vrekenhorst²⁾, tertia in Vredis³⁾, quarta vero, scilicet Hadewigis desponsata est et honorabili militi circa Wesaliam domino Everwino de Guterswyck nupsit, de quo nobilem prolem Arnoldum de Guterswyck procreavit, qui et ipse tandem inclyti domicelli Everwyni, comitis de Benthem pater extitit.

Cum igitur tenuis aetatis annum nobilis indolis puer Bernardus ageret, pater eius Johannes, comes de Benthem, vita functus est⁴⁾. Post cuius mortem principatum senior eius filius Symon accepit. Hic quamvis duas uxores duxisset⁵⁾, nullum tamen heredem post se reliquit eo, quod diuturno tabefactus languore et morbo, quem ptisim physici nuncupant, paulatim deficiens, postquam comitatum per aliquantos annos laudabiliter rexisset, quievit in Domino⁶⁾.

Quo mortuo Otto, frater eius senior, cum germanos suos Christianum et Bernardum ad regimen patriae propter annorum defectum minus habiles videret, ipse quamquam invitus comitatum regendum accepit, quoadusque adolescerent et crescerent. Vir enim bonus et pacificus fuit, quietis amator, turbationes et tumultus aversans. Qua de re uxorem ducere nunquam consensit, sed bona terrae prudenter satis et pacifice aliquamdiu dispensavit. Tempus vero opportunum quietis suae nactus, postquam circa decem et octo annos⁷⁾ pacifice et laudabiliter rexisset, cum fratrem suum iuniorem Bernardum prudentem et industrium et in rebus militaribus efficacem et magis strenuum cerneret, comitatum et principatum eidem tradidit. Ipse vero praeposituras

¹⁾ Elisabeth (Lise) kommt 1339 bis 1372 als Äbtissin von Heerse vor (Zeitschrift für vaterl. Geschichte 36, 2, 31; 37, 2, 155 ff.; 40, 2, 67).

²⁾ Lysa von Bentheim wird als Äbtissin von Freckenhorst 1324 und 1327 urkundlich genannt, ist aber wahrscheinlich mit der späteren Äbtissin von Heerse identisch (J. Schwieters, Das Kloster Freckenhorst und seine Äbtissinnen, Warendorf 1903, S. 83 ff.).

³⁾ Adelheid (Tale = Het Ale) von Bentheim begegnet 1356 bis etwa 1388 als Äbtissin von Vreden (Zeitschrift für vaterl. Geschichte 32, 155 ff.). Ihre Tante Heilwig von Bentheim kommt 1357 als Pröpstin daselbst vor (ebd. 28, 136).

⁴⁾ 1332 oder 1333 (Jung S. 280).

⁵⁾ Jung S. 293 folgert mit Unrecht aus den Urkunden, daß er unvermählt blieb. Seine Witwe Katharina von Steinfurt kommt 1355 vor (Döhmann Nr. 9 S. 90).

⁶⁾ Etwa 1347 (Jung S. 295).

⁷⁾ Er regierte von etwa 1347 bis 1364 oder 1365; die letzte Urkunde ist vom 11. November 1364 (Ebd. S. 298).

ecclesiarum Paderbornensis et Monasteriensis sibi datas¹⁾ accep-
tavit, quiete egit, gratiose vixit²⁾. Christianus autem frater eius
quamvis aetate Bernardum tribus annis praecederet, eidem nihi-
lominus libens cessit, et ipse magis quiete eligens vivere quam
regiminis molestiis occupari³⁾.

Igitur nobilis comes Bernardus circa annum Domini millesi-
mum trecentiesimum sexagesimum quartum, vitae vero suae tri-
cesimum quartum comitatum Benthemensem regendum accepit.
Post annos vero quinque vel sex ipso die sanctorum martyrum
Timothei et Symphoriani⁴⁾ in bello ducis Brabantiae et ducis
Gelriae⁵⁾ super Mosam in terra Juliacensi miles effectus est.
Uxorem autem filiam praeclari domini de Stenvordia Balduini
duxit, cui nomen erat Brunitta⁶⁾, quae et ipsa facie decora et om-
nibus acceptabilis et gratiosa, quibus tamen proles non est con-
cessa.

Hic igitur comes Bernardus quamvis in militaribus et bellicis
rebus et propria defendenda strenuus fuerit et in bellis victori-
osus, in divinis nihilominus officiis Deo mirabiliter devotus et
promotivus effectus est.

Quod ut evidentius elucescat, vitae eius modum hic ex parte
breviter inserere libet. Cum enim domi quietus existeret, mane
diluculo ad horas suas persolvendas surrexit. Istaе horae suae
fuerunt: scilicet de sancta cruce, de beata Maria virgine cum
horis de passione Domini. Quibus finitis de diversis sanctis, quos
speciali venerabatur affectu, suffragia et orationes subiunxit.
Nam ad sanctos martyres Fabianum, Sebastianum, Stephanum,
Laurentium, Vincentium, Georgium et ad sanctos confessores
Martinum, Nicolaum, Antonium, Franciscum et ad praeclaras
virgines Agnetem, Catharinam, Caeciliam, Margaretham, Bar-
baram, Mariam Magdalenam devotione afficiebatur non communi
eisque orationes profundeabat, super quas nihilominus et alias
habebat. A tempore, quo horas suas inceperat, quoadusque eas
finisset, nisi evidens necessitas superveniret, silentium servabat.

¹⁾ Als Propst von Paderborn kommt er schon seit 1337 vor (*Zeitschrift f. vaterl. Geschichte* 44, 2, 47), dagegen verzichtete er auf die münsterische Propstei, die er seit etwa 1355 inne hatte, 1360 zu Gunsten seines Bruders Christian (*Jung, Cod. dipl. Nr. 88, S. 170 ff.*).

²⁾ Er starb 1384 (*Zeitschrift f. vaterl. Geschichte* 44, 2, 47).

³⁾ Er war Dompropst in Münster und Domherr in Köln.

⁴⁾ 22. August.

⁵⁾ Schlacht bei Basweiler 1371 (*Döhmann Nr. 22 S. 125*).

⁶⁾ Brunitta entstanden aus Pironetta, Pronetta, Brunetta; gewöhnlich Bernetta genannt. Er verlobte sich mit ihr 1370 und heiratete sie 1383 (*Jung S. 303 f.*).

Deinde missam in genibus devote audiebat et octo denarios quotidie ad missam offerebat. Si vero necessitas cogeret, ut missam audire non posset, ea die carnes non comedebat. Missa autem finita aquam sumpsit et ad comestionem se disposuit. Tamen propter honorem sacerdotii nunquam a presbytero aquam, mapam vel simile aliquid sibi administrari permisit. Ad mensam suam frequenter benedicite et gratias legi fecit. Dominos religiosos, quos ad suam mensam invitavit, supra se sedere fecit. Omni die duodecim pauperes pavit et unum pro se quotidie ieiunantem procuravit. Similiter ut psalterium pro eo omni die semel, sed sextis feriis ter legeretur, disponebat. In omnibus beatae Mariae virginis profestis pane et cerevisia contentus erat. Jeiunia ecclesiae in cibis quadragesimalibus ieiunabat. In profestis insuper patronorum, quos speciali venerabatur devotione, scilicet trium regum, Fabiani et Sebastiani et aliorum iam praedictorum castigatius ieiunabat. Feriis quartis per totum annum carnem non edebat. Sed et quintis feriis ad coenam pro memoria et honore traditionis Domini nostri Jesu Christi a carnibus abstinebat. Sextis feriis per totum annum non nisi quadragesimalia sumebat. Super haec omnia etiam multas pro se peregrinationes fieri fecit, videlicet ad inclusorium beatae Mariae virginis¹⁾, ad sanctum Antonium²⁾ et ad loca similia. A tempore autem, quo peregrini exissent, usque ad eorum reditum carnibus usus non est. Nam et pro peregrinis et pro cera in divinis officiiis et pro vestibus, calceamentis et ceteris pauperum necessitatibus annuatim ultra centum marcas liberalissime expendebat. Omni sabbatho in Benthem beatae Mariae virginis imaginem per cimiterium deportari fecit et ad eiusdem gloriosae virginis honorem sex denarios et unum cereum de talento obtulit. Simili modo in Scuttrope ad victoriosissimae crucis honorem fieri fecit. Ebrios omnes, maxime presbyteros aversabatur. Unde et dicere solitus fuit, quod clenodium detestabile esset presbyter ebrius et vir vel mulier nobilis in bibendo modum non servantes. Matutinis nativitatis Christi semper interfuit et inibi cum germano suo Christiano, quamdiu vixit, „Venite“ decantavit, sed eo defuncto cum uno sacerdotum hoc ipsum tamen fecit. Circa principium comitatus sui in capella castri in Benthem duo altaria, similiter tandem in Nyenhues duo dotavit, de quo benedictus Deus in saecula. Amen.

¹⁾ Gemeint ist vielleicht Loreto, wobei der Chronist die Berühmtheit der Wallfahrt zu seiner Zeit in die Vergangenheit übertragen würde.

²⁾ Padua.

**De conversione domini Henrici Crul et de
Margaretha Kerchoves
cap. 2.**

Eodem tempore ecclesiam Scuttorpensem quidam curatus et pastor dictus dominus Henricus Crul¹⁾ tenuit. Qui quamvis carnis suae petulantia deductus aliquamdiu saeculariter vivens tempus vane consumeret, Domini tamen miseratione tandem conversus est.

Interea namque Margaretha Kerkhoves dicta²⁾, cuius parentes secundum saeculum divites, honorati, praeclari ac curiales, coram beatae Mariae virginis imagine virginitatis votum spiritu sancto, ut creditur, inspirante secrete fecit. Quae tamen nubilis facta a parentibus rapta, vestita ac ornata et viro cuidam praediviti quamvis reclamans ac renitens et virginitatis votum manifestans in matrimonio iuncta est asserentibus propinquis puerilia ista esse nec pensanda. Ipsa tamen facti non immemor voti sponso inter thalami secreta ait: „Vide, ne me contingere praesumas, quia iam sponsum habeo Jesum Christum, regem regum et dominum dominantium, cui coram beata Maria virgine, matre sua, virginitatem meam devovi illibatam.“ Ille vero timore correptus respondit: „Si haec ita sunt, absit, ut potentioris sponsam ego contingam. Tu ergo virginitatem tuam servabis, sed ego in omnibus bonis, mobilibus et immobilibus plenam sine ulla contradictione potestatem habere volo.“ Quae respondit: „Consen-

¹⁾ Er kommt urkundlich als Hinricus de Marclo (in der Twenthe) alias Crull vor.

²⁾ Sie ist offenbar dieselbe, die in der 1534 abgeschriebenen, aber dem Anfang des 15. Jahrhunderts angehörenden Chronik „Van den doechten der vuriger ende stichtiger susteren van Diepenveen“, der sogenannten Handschrift D, hrsg. von D. A. Brinkerink (Bibliotheek van middelnederlandsche letterkunde, afl. 70, 72–74, Groningen 1904), S. 177 Stijne die Kerckhovesch genannt wird. Doch steht der Vorname Margaretha urkundlich fest; Grete Kerchoves zelighen Arndes wyf Kerchoves verkauft am 24. April 1394 einen Kamp (Döhmann Nr. 26, S. 285).

tio, dummodo virginitatem meam inviolatam intactamque servavero." Quod et factum est¹⁾. Vir autem sicut divitiis abundabat, sic et animo tumebat et domino patriae in armis militabat et eis, qui mundialiter et deliciose vivebant, se sociabat. Ipsa vero domi ieiuneis, orationibus, eleemosinis ac piis et divinis operibus devote intenta permanebat²⁾. Sed viro tandem mortuo quasi maiore libertate Domino obsequendi nacta cum sorore sua³⁾, quae et ipsa marito orbata fuerat, sicut spirituales personae et sicut baguttae insimul viventes bonis operibus sollicite intendebant.

Dum autem virgo confessori suo, domino Henrico, iam praedicto, peccata sua saepius confiteretur, crebro profunda ac dolorosa de peccatis suspiria trahere consuevit, unde motus confessor perpendit et intellexit, quod alius in praedicta virgine esset inhabitator, quam foris appareret. Quapropter tandem virgini dixit: „Dic mihi, carissima, si meam tua suspiria personam tangant.“ Virgo respondit: „Venerabilis pastor, quid ego misera vobis dicere possum? Nostrarum dux et pastor animarum vos estis. Scrutamini scripturas. Vituperabile valde et omnino inexcusabile esset aliquem male vivere, qui vitae viam nesciret, imo, sicut nostis, et alios docere debetis. Talis et stultus et aeternae damnationis filius esset.“ Sacerdos respondit: „Proh dolor, ego, ego talis sum!“ Ad haec virgo: „Vere, domine, ergo emendatione opus est“ addiditque: „Ex quo vos fateri coepistis, dicam vobis visionem, quae mihi a Domino revelata est. Putabam me stare in magno quodam prato, in quo pulcherrimum erat castrum de puro auro ordinatum, sed gradus valde strictos habebat. Ego per gradus usque ad castrum summitatem transivi, vos vero in

¹⁾ In der genannten Chronik heißt es S. 177 f.: In der selver stat (Schüttorf) was ene grote souster, geheyt Steyne die Kerckhovesch. Die sat myt enen man in der echt ende leveden te samen in reynicheit, soe dat sij jonfer starf. Dese ionfer dede recht myt horen brudegom als sante Cecilia myt horen brudegom Valryanus. Want des iersten nachtes legede sie hem voer hoer opset ende segede hem die heymelichheit hoers herten. Ende hij wart te hand als een sachtmodich lam ende was hoer in allen dingen te willen. Dit was een wonderlick werck godes, dat seer te verwonderen is, want dese man was als oft een lewe geweest hadde ende een schone heerlick man vol werldes.

²⁾ Anders die Darstellung der Diepenveener Chronik S. 178: Sie vercoften beyde hoer guet ende geven dat ghelt den armen. Op een tijt vragede hij hoer na dat gelt; doe antwarde sie ende segede: „Dat achtet als een dreck.“ Sie weren beyde al wat nader werlt ende van gueden luden. Dese ionfer Stijne hadde sunderlinge gracie van onsen lieven heren inwendelike ontfangen, soe dattet utwendelike apenbaerde. Sie plach dat hillige sacramente ter weke of vaeker te ontfangen Want wonderlike dinge dede onse lieve here myt hoer.

³⁾ Über diese Schwester vgl. unten S. 17, Anm. 1.

prato circa castrum spaciando deambulastis. Ego vobis manibus meis saepissime signum feci, ut sequeremini, sed vos indignanter refutastis cum commotione dicendo, quod collum frangere deberetis". Sacerdos ait: „Vere hoc nihil aliud est, quam quod tu transis viam artam, quae ducit ad vitam et gaudium aeternae beatitudinis, ego vero latam et spaciosam viam, quae ducit ad perditionem et aeternae damnationis gradus perambulo." Tunc virgo respondit: „Si haec est interpretatio, oportet nos Deum exorare, ut vestrae vitae emendatio fiat". Tandem sacerdos maxime compunctus et, ut pie speratur, devotis orationibus adiutus vitam in melius commutare et animo statuit et opere, ut dicitur, complevit.

Virgo vero Domini quotidie in melius proficiens carnem domuit et nocturnis temporibus coram imagine gloriosae virginis cum cereo per noctem ardente psalterium legit et vix duas ad somnum horas accepit. Multum etiam abstinens parum et nihil prope comedit. Cuius felicissimis actibus diabolus invidens nocturno tempore in specie eremitae illi affuit et in cathedra, quam ipse sibi praeparavit, sedit. Cum quo puella disputans paene in desperationem per eum ducta est. Sed sacerdote mane adveniente divino adiutorio ab ipso sufficienter consolata et erecta est edoctaque et prohibita, ne de caetero cum Satana aliquo modo disputare temptaret. Mira et multa essent de ista virgine scribenda, quales daemonum insultus et quam varias in sua vita et camera machinationes eorum sit perpessa, nunc incendio, quasi domus arderet, nunc strepitu, quasi domus caderet, adeo, ut vicini et familia non modice turbarentur¹⁾. Postquam vero ad Dominum ipsa transiit, nullae deinceps daemonum insultationes illic sunt auditae.

Sacerdos autem praedictus omni quindena sacram illi communionem attulit ardentibus coram ea in camera tribus cereis in honore sanctae trinitatis accensis. Quadam autem die post sacram communionem ante ablutionem in spiritu quasi per horam rapta est, ut corpus quasi mortuum et sine spiritu videretur sacerdote interim orante. Tandem spiritus ad corpusculum rediit et tunc amare flere coepit. Sacerdote vero interrogante, quomo-

¹⁾ *Darüber erzählt die Chronik S. 179:* Dese ionfer Stijne . . . plach die duvel vele lijdens an te doen. Op en tijt voerde hij sie op in der lucht ende sette sie op enen tornen, mer overmyds den willen godes brachte hie sie weder neder . . . Toe Northoerne is noch een water vat, dat hoer to gehoert heeft, dat hij te samen gedrucket hadde, dat men sine clauwen daer noch in sien mach, welc sie holden tot enen lijckteyken.

do habuisset et quo deducta fuisset, respondit: „Ad tam magnum gaudium admissa fui, quod nec verbis exprimi nec humano corde concipi potest, et omnino dimembrari desiderarem, si in tali gaudio permanere possem.

Quapropter Deo sedulius servire et arctius vivere tandem decrevit et mundum relinquere et monasterium intrare. Itaque monasterium beatae Mariae virginis Hoerden¹⁾ nuncupatum petiit et inibi habitandi locum obtinuit. Cum vero pro domus suae dispositione ad propria rediret, gravi infirmitate correpta in via defuncta est et mentaliter tantummodo monacha effecta. Et quia beatam Mariam virginem dilexit, in claustro beatae Mariae est recepta, in die assumptionis beatae Mariae defuncta et in cimiterio beatae Mariae trans aquas²⁾ in civitate Monasteriensi tumulata est.

Sacerdos autem dominus Hinricus Crul Domini spiritu tactus non modo vitam in melius commutare, sed et mundum cum omnibus oblectamentis suis deserere et artiori vita se paenitentia castigare irrefragabiliter decrevit. Sed quonam modo, ordine vel loco id faceret, non modicum haesitavit. Precibus tamen continuis Dominum non segni affectu quotidie exorabat, ut propositum conceptum sibi conservaret et exequendum beneplacitum suum inspiraret. Tandem illi visum est forte melius esse secretiorem quendam locum eligere, in quo ipse solus vel cum uno tantum socio quietius ac devotius domino deserviret. Cum ergo circuiret et aptum pro sua intentione locum sollicitè quaereret nec inveniret, tandem comitem de Benthem, dominum Bernardum, adiit eique suum propositum ac desiderium insinuavit. Dominus autem comes, vir prudens ac providus bonum ac inopinatum domini Hinrici plebani propositum audiens laetus effectus est eiusque propositum magnifice laudans, sed intentionem de reclusionem ac solitudine rationabiliter dissuadens respondit: „Domine Hinrice, vestra, intentio, qua vitam mutare et poenitentiam agere

¹⁾ Hoerde (Klarenberg), das offenbar gemeint ist, weil nach unserem Chronisten die Reise über Münster ging, war aber der hl. Klara geweiht. Nach der Diepenveener Chronik S. 178 f. starb sie dagegen auf dem Wege nach Diepenveen (bei Deventer): Doe hoer man utter tijt was, doe hadde sie ende hoer suster Gebbe ten Tye soe grote begeerte te leven ende te sterven onder gehorsamheit by gueden menschen. Ende als sie te samen opten wech weren ten Diepenveen te reysen, soe starf ionfer Stijne de Kerckhaefsche, daer hoer gemynde suster Gebbe, die myt hoer op die reyse was, alte seer in bedrucket was. Meer sie bleef vaste by horen opsat ende quam ten Diepenveen ende waert hijr ene devote vonversynne. (Gebbe starb 1416.)

²⁾ Ueberwasserstift (Liebfrauen) in Münster.

statuistis, multum nobis placita ac grata est, sed de inclusione propositum non satis placet, sed aliud consilium mihi occurrit salubrius, si tamen vobis consultum videatur, ut scilicet novum ego et vos monasterium fundemus, in quo non tantum vos, si intrare volueritis, sed et plures vobiscum, imo et plurimi per multa saecula sedulum Deo ac fructuosum famulatum exhibere poterunt. Quendam enim coloniam seu praedium¹⁾, inquit, „mei iuris habeo in parochia Noirthorn et burschapio Vrelstroepe, locum pro monasterio construendo aptissimum. Hunc ad monasterium, si placet, cum omnibus attinentiis et requisitis suis offero libentissime.“ At vero dominus Hinricus de praeclari comitis cum consilio tum promisso quasi divinitus facto gavisus et multum recreatus cum gratiarum actione, quod comes decreverat et obtulerat, approbavit et acceptavit.

De domino Everhardo de Eza cap. 3.

Porro in diebus illis vir quidam venerabilis erat magister ac dominus Everhardus de Eza, ecclesiae in Almeloe¹⁾ curatus et pastor. Et hic de huius vanitate saeculi per felicitis recordationis magistrum Gherardum Magnum²⁾ quondam mirabiliter divinitus fuit conversus. Dum enim³⁾ dictus Gherardus quasi novus Alemaniae apostolus doctrina et fama admodum praeclarus extra muros civitatis Daventriae populo verbum vitae praedicaret, Everhardus scientia inflatus et saeculariter tumidus, puta magister in artibus, baccalaureus in medicina et practicus, praedicationi eius non utique caritatis, sed curiositatis causa adesse festinavit, ut eum caperet in sermone. Et quia petulans et ambitiosus fuit, non inter populares et simplices stetit, sed retro post columnam quasi latitans stetit. Sed sicut cum Ambrosio Augustino contigit, sic et iste insidiis suis

¹⁾ Im benachbarten Bistum Utrecht.

²⁾ Gerhard Groot, aus dessen Kreise die Windesheimer Kongregation und die Genossenschaft der Brüder vom gemeinsamen Leben (Fraterherren) hervorgingen. Vgl. über ihn L. Schulze in der Realenzyklopädie f. protestant. Theologie 7³, 185—191.

³⁾ Im Folgenden ist, zum Teil wörtlich, die Erzählung des Thomas von Kempen im „Chronicon Montis s. Agnetis“, Antwerpiae 1621, S. 161 ff. benutzt.

captus est. Nam omnipotens Deus sui pharetram praedicatoris sagittis implevit acutis, quibus illius curiosi cor auditoris occulte transfixit et immutavit atque ad vitae viam convertit et alterum nobis Augustinum vel Paulum de Saulo exhibuit. Facta namque praedicatione virum Dei adiit et quale miraculum secum in praedicatione Dominus fecerit, aperuit. Nam omnes cordis sui latebras perlustrari ac pervideri sensit et quasi relictis omnibus ad ipsum solum totius sui industriam sermonis praedicator vibrasset percelli. Itaque a praedicatore susceptus est et in caritate confirmatus collaborator et conpraedicator Westphaliam versus tandem directus.

Post cuius conversionem magister Gerardus Magnus cito migravit ad Dominum¹⁾. Contra cuius novellam plantationem, scilicet domos religiosas grandem persecutionis pressuram diabolus concitavit. Everhardus vero, quia iam conversus fuit, quaerebat se coniungere discipulis et emendationis vitae desiderio ad domini Florentii²⁾ domum accessit. Quo viso omnes illi fratres ante faciem eius quasi ante lupum agni diffugerunt et in cellulis se receperunt. Sed et dominus Florentius velut alter Ananias Paulum, quia multa de viro hoc mala audierat, expavit. Nam et ante conversionem suam, sicut dicebatur, dominus Everhardus fratribus invidiosus et austerus fuerat. Ipse vero ad dominum Florentium ait: „Quid habent fratres isti, quod sic fugiunt?“ Ille respondit: „Quia, quo animo ad nos venisti, ignorant.“ Everhardus ait: „Emendationis vitae desiderio.“ Dominus autem Florentius magis magisque timuit, porro in omnibus ei suspectus fuit. Tunc vero matura deliberatione et protestatione dominus Everhardus intulit dicens: „Si verbis meis non creditis, vel operibus credite. Ad tempus cellam, quaeso, accomodetis et in ea, cuius spiritus sim, probetis.“ Admissus ac susceptus est et bene et laudabiliter conversatus. Deinde divinam circa se dispensationem et vocationem perpendens addictae sibi praedicationis terminos petens, videlicet partes Westphaliae sermone et bonis operibus insignis longe lateque divulgatus est. Unde factum est, ut pro suarum salute animarum ad eum multi confluerent. Nam in Almeloe pastor ecclesiae ipse residens longo tempore probatam vitam duxit, et devotam in sua domo presbyterorum, clericorum ac laicorum congregationem tenens cum illis sicut in monasterio

¹⁾ 1384.

²⁾ Florentius, Radewyns Sohn, bis 1400 Rektor des Fraterhauses in Deventer. Vgl. über ihn L. Schulze in der Realenzyklopädie f. protestant. Theologie 6³, 111—114.

horas canonicas in ecclesia decantavit eosque more fratrum in domo domini Florentii exercitiis monasticis et sacris lectionibus educavit.

Pro filiis autem suis spiritualibus valde sollicitus fuit, ne post discessum suum dispergerentur et ideo monasterium eis facere deliberavit, sed ubi vel quando id exequeretur, dubitavit. Hoc enim in territorio Twenthae fieri ipse maxime desideravit. Sed quantumcumque satageret, nihil profecit. Eodem tempore eundem usque ad mortem infirmari contigit. Ad quem visitandi et consolandi gratia multi religiosi ac devoti venerunt. Nam et prior de Wyndesim¹⁾ et dominus Florentius de Daventria ad eum properaverunt. Et cum iam signa mortis apparerent in eo, ipse viribus destitutus ac mente stupidus ait: „Domine Florenti, quid vobis de me videtur?“ Qui post modicam deliberationem prophético ac divino afflatus spiritu respondit: „Domine Everharde, vos in hac infirmitate non moriemini; nam dominus noster adhuc alia per vos ordinare ac disponere intendit. Post quae verba divina illa virtus statim affuit, ut cito convalesceret in tantum, ut brevi tempore se erigeret et in lectulo resideret.

Cum autem in eadem adhuc infirmitate decumberet, visionem se vidisse declaravit. Apparuit enim illi gloriosa virgo Maria cum beatis Paulo et Augustino et significabant ei divina voluntate provisum et ordinatum esse, ut ipse novum monasterium in dioecesi Monasteriensi, in confinio Westphaliae et Twenthae aedificaret. Nam et sanctus Paulus²⁾ quasi dux verbi intulit: „In mea diocesi construere satages.“

Huius domini Everhardi capellanus praedictus dominus Hinricus Crull aliquando fuerat, qui monita salutis a plebano suo crebrius audierat, quae tamen nec affectuose suscepit nec efficaciter implevit. Idcirco propositum eius in rebus spiritualibus optime novit. Hic ergo accepto praeclari principis Bernardi proposito de loco et situ pro monasterio construendo altera die ad dominum Everhardum advenit omnia ei insinuans, ut ad honorem Dei et plurimorum salutem praedictum locum secum invisere, et si aptum iudicaret, cum eo ad comitem pergere et assumere dignaretur, humiliter supplicavit. Qui domini Hinrici verbis auditis pro devotione ignitus animo exhilaratus est et promissionem ac denuntiationem cum visione sibi ostensa comparans omnia se et

¹⁾ *Joh. Goswini Vos 1391—1424 (Realenzyklopädie f. protestant. Theologie 21^a, 365).*

²⁾ *Der Patron des münsterischen Domes und Bistums.*

gratanter accipere et fideliter exequi pollicitus est. Cito ergo carrum pariter ascendentes et locum invisere et comitem consulere profecti sunt. Quos ille debito honore suscipiens et de claustris extruendi desiderio serius tractantes audiens laeto corde ac devota mente omnia, quae iam promiserat, se plenissime daturum respondit dicens: „Non solum, ut promisimus, locum pro monasterio aedificando voluntarie dabimus, sed opitulante Dei gratia progressu temporis ampliora adiciemus.“ Quod et postea magnifice impletum est.

Anno igitur millesimo trecentesimo nonagesimo quarto nobilis princeps ac praeclarus Bernardus, comes de Benthem, pro animae suae ac parentum salute de consensu fratris sui, nobilis domicelli Christiani, nec non et nepotis sui Arnoldi de Guterswyk locum et praedium dictum Eynoldinck in parochia Noirthorn et in burschagio Vrelstorpe situatum cum omnibus ac singulis pertinentiis suis, cum campo quodam dicto Scotencamp et piscatione ad foundationem monasterii in honorem Dei omnipotentis ac gloriosissimae virginis Mariae praedictis dominis Henrico Crul et Everhardo de Eza simpliciter ac pure dedit et omnino resignavit. Et quod primum ore et voto fecerat, in die sancti Antonii manu et litteris mox munivit et confirmavit¹⁾.

Sacerdotes autem Christi, domini Hinricus et Everhardus, cum gratiarum actione comitis oblationem et donationem acceptantes divinam ordinationem non segniter executi sunt. Siquidem dominus Everhardus quosdam de familia sua iam monastice institutos, scilicet dominum Petrum, devotum presbyterum, cum Hermanno Monasteriensi et clerico postmodum in conversum vestito cum aliis quibusdam ad praeparandum et inhabitandum locum circa festum purificationis beatae Mariae virginis eo illico destinavit. Qui ad praedictum locum cum rebus et utensilibus necessariis venientes pro suo posse locum praeparabant. Quamvis enim longe ante locus a Deo electus, praeordinatus et denuntiatus esset, incultus tamen erat et spinis, vepribus, arboribus et ulmis obsitus, quod contigua adhuc loca evidentius demonstrant²⁾.

¹⁾ *Quelle ist die Urkunde vom Antoniustage (17. Januar) 1394, abgedruckt bei Jung, Appendix diplomatum Nr. 14 S. 376 ff. (vgl. Döhm ann Nr. 24 S. 284 f.). Ich bringe sie im Anhang erneut zum Abdruck. Zu beachten ist, daß nicht von Schenkung die Rede ist, sondern es heißt: „hebbet vorcoft unde vorcopet“. Der Preis ist nicht genannt.*

²⁾ *Da der Chronist (vielleicht versehentlich) auf das Ende Eberhards von Eza nicht zurückkommt, obwohl er ihn noch öfter erwähnt, sei hier am Schlusse des Kapitels der Bericht des Thomas von Kempen (a. a. O.) S. 160 ff. mitgeteilt: Anno Domini MCCCC quarto prima die mensis Aprilis (das*

De multiplici loci miraculosa praeostensione cap. 4.

Omnipotens siquidem Deus, qui ab initio fecit, quae futura sunt et multa, antequam fierent, praeostendit, prout in litteris sacris et historiis multis claret, etiam hunc locum sibi gratum et electum fore variis praesagiis declarare dignatus est. Nam et quadraginta annis ante aedificationem signa praecurrerunt et visum est stare monasterium, campana pulsare, luminaria lucere, cantus et processiones ac multa mirabilia fieri fratresque in albis conversari.

Nekrol. von Frenswegen hat den 29. April) obiit reverendus Dominus Everardus de Eza, curatus in Almelo, egregius magister in medicinis. Hic gratis multis infirmis et praecipue pauperibus saepe praestitit beneficia sanitatis. Hic fuit fundator et specialis procurator monasterii Nemoris beatae Mariae virginis prope Northorn in comitatu de Benthem et quosdam de clericis secum habitantibus fecit ibidem investiri. Hic etiam inter physicos erat maxime reputatus, honorabilis principibus, saecularibus metuendus, religiosi dilectus et longe in terra optime notus. Erat autem familiaris domino Florentio, Daventriensis ecclesiae vicario, et libenter eum visitavit necnon frequenter illi in infirmitatibus suis astitit ac curam sollerter impendit. De quo ipse referebat, quia supra naturam humanam esset, quod homo tantae debilitatis tam diu virere posset sine Deo conservante . . . Nach dem im Text benutzten Bericht über seine Bekehrung und die Gründung des Stifts Frenswegen fährt Thomas fort: Quibus (den Stiftsinsassen) largitus est dona de rebus suis in auro et argento, in libris et aliis utensilibus, pro structura et necessariis expensis . . . Sepultus est autem in ecclesia sua in Almelo, ubi pluribus annis praefuit populo bonam memoriam relinquens apud devotos, quos paternaliter fovit ac dilexit. Hic aliquando cum Daventriae frequentarem (also zwischen 1392 und 1399) et aegrotarem, ita me curavit, ut postea longo tempore Deo propitio consimilis aegritudo non urgeret. Der ebenfalls gleichzeitige Rudolf Dier berichtet S. 61 f. ähnlich: Circa idem tempus, scilicet in diebus paschalibus (1404) obiit dominus Everardus, pastor ecclesiae parochialis in Almelo Twenthae, qui fuit conversus ad Dominum tempore magistri G. Grote et multa bona fecit in vita sua. Ipse enim fundavit vel saltem iuvit fundare monasterium regularium Nemoris beatae Mariae iuxta Northoern. Item ipse reformavit vel iuvit ad reformationem monasterii regularium prope Nuciam (vgl. Busch S. 401 Anm. 2). Ipse rexit sorores in communi viventes in parochia ecclesiae suae. In domo sua conservans quodammodo monasticam disciplinam habuit devotos presbyteros celebrantes missas in ecclesia ipsius et devotos clericos cantantes in eadem ecclesia. Habuit etiam communem mensam cum presbyteris, clericis et laicis suis, ac lectio sacrae scripturae recitabatur tempore sumptionis ciborum. Aliquotiens sumpta occasione de lectione interrogavit et instruxit eos, saepe humiliavit eos, corripuit et correxit. Quando confitebantur sibi, imposuit eis quandoque humiliaiones pro poenitentia, ut puta sub mensa singulorum osculari pedes vel similia. Saepius tempore domini Florentii fratres infirmabantur forte ex mini- rigore, et quia dominus Everardus medicus erat, mittebantur ad eum a domino Florentio, ut sanarentur tam corpore quam spiritu. Mittebat autem eos Dominus Everardus ad opera rusticalia et curam eorum egit tam in spiritualibus quam corporalibus. Hos ergo refocillatos remisit ad dominum Florentium, qui miserat illos. Eberhard war es auch, der die Äbtissin von Vreden Jutta von Ahaus auf den Weg der „Devotion“ führte. Vgl. meinen Aufsatz im Historischen Jahrbuche 1909, S. 767 f.

Habitavit item in isto loco aliquis homo simplex et Deo multum devotus, et hic bis in hebdomada quatuor faculas sive faces flammantes et fulgurantes et usque nubes protensas vidit. Vidit inquam ista non per somnia, sed mente omnino compos, stans et vigilans. Deinde processionem magnam valde, cuius fines vix considerare potuit. In processione vero bini et bini albis induti incedebant, quos nunc cappa choralis solus prosequi videbatur¹⁾. Voces etiam eorum mirabiliter ac dulciter in excelsis resonantes audivit, unde ad terram prae nimio gaudio et stupore corruit.

Simili modo eiusdem loci colono, qui Vust dicebatur, visio apparuit. Quadam namque nocte per visum miram quandam candidarum avium multitudinem adventare, locum istum undique occupare, universa ad ipsum pertinentia abigere ac devastare conspexit. Ex qua visione ille nimirum conterritus et de suarum omnium direptione rerum anxius uxori suae visionem mox tristis et gemens manifestavit. At illa huiusmodi nocturnis phantasiis nullam fidem adhibendam fore asseruit, maritum solatiis, quantum potuit, erigens. Sed quid? Nempe post modicum tempus ipsum eius domicilium cum omnibus attinentiis suis pro usu monasterii construendi comes Bernardus, ut praedictum est, erogavit. Tandem cum in albis fratres in loco procederent, mulier ad maritum dixit: „En aves candidae, quas in visione omnia tua occupare conspexisti.“ Liquido ergo claret, quod somnium illud non phantasma vanum, sed prophetia vera fuit.

His et huiusmodi aliis signis et portentis sacrae religionis locum Deus ante eius constitutionem per annos et tempora et generationes declaravit, porro in quo sibi tot suavissimi odoris holocausta, tot vota et libamina, tot gratiarum carismata, tot angelorum gaudia et lucra animarum affutura praevidit.

Sed et ipsos fundatores singulariter certificare dignatus est Dominus. Dum enim ad praedium dominus Everhardus et Hinricus adventassent, in qua potissimum loci parte ecclesia et monasterium convenientius erigeretur, haesitaverunt. Et ecce, subito quasi a Deo missa avicula ante eos in carro sedentes et mirantes descendit temperatoque ac basso volatu, donec ad quoddam

¹⁾ Solche Visionen sind bei mittelalterlichen Klostergründungen herkömmlich. Vgl. z. B. Thomas von Kempen in der Vorrede zu der genannten Chronik: Narraverunt nobis quidam de senioribus nostris ex primis habitatoribus domus nostrae, quod, antequam monasterium in hoc loco fieret et priusquam aliquis hominum hic ad serviendum Deo venisset, quod saepe pastoribus et vicinis nostris visiones apparuissent albatorum hominum, qui in montis circuitu processionem facere videbantur.

dumetum densis spinis ac vepribus coopertum venirent, praecessit. Ubi residens praesaga voce quasi rationalis ales mirabiliter solatiose modulans creatori suo dulces coepit resonare laudes. Et quasi clarius intimans et fortius imprimens „hic, hic, hic“ vivaciter decantavit. Quod dominus Everhardus quasi quoddam coeleste miraculum advertens ait: „Ecce, fratres, hic est locus, quem sibi Dominus elegit et nobis ad oculum consignavit. Istis ergo revelationibus de episcopio, territorio, circumscripto loco fundatores divinitus admoniti ac certificati in Dei nomine et gloriosissimae virginis Mariae honore struere coeperunt. Et plane locus, ubi avicula deposuit, nunc est sanctuarium et chorus magnae ecclesiae lapideae.

De singulari electione huius monasterii revelatio.

Cap. 5.

Cito insuper, quam ad istum locum gratiam Dominus haberet, revelare dignatus est. Nam quaedam coelestis revelatio cuidam devotae feminae facta et a patre Hinrico Kyndeshoff¹⁾ sollicitè conscripta in hunc modum inventa est. Revelavit benedicta virgo Maria cuidam devotae personae locum istum ante multa tempora a Deo praeordinatum, electum et nunc valde dilectum. Et inter cetera verba beatissima virgo etiam haec intulit dicens: „An nescitis, an non consideratis, quam mirabiliter filius meus dilectus istum locum ordinavit et fratres ibidem direxit? Ideoque in omnibus eorum tribulationibus et pressuris eos consolabitur et adiuvabit. Unde revera, si totus mundus se eis obiceret, nequaquam contra eos praevalebit.“ Deinde et ipsa coeli regina piam subventionem, fidelem assistentiam, continuam protectionem ac perpetua suffragia promisit. Ait namque omnibus in praedicto loco existentibus in cunctis necessitatibus, corporalibus et spiritualibus, temporalibus et aeternis se refugium fore et consolationem et tutelam facere, si tamen sic in religionis puritate sine personarum acceptione et in spiritualibus exercitiis continue proficere studerent, sicut primum coeperant, et si ad eam ipsam devotionem et reverentiam specialem servarent.

Ecce, tria notabilia ac gratissima, scilicet divina electio, coelestis ac virginalis protectio, religionis ac devotionis exactio.

¹⁾ *Dem ersten Prior (1394—1399); vgl. unten.*

De loci confirmatione et de resistentium remotione cap. 6.

Loci autem possessione accepta pro eiusdem confirmatione apud Monasteriensem episcopum mox instanter elaboratum est. Eo autem tempore dominus Otto de Hoya praesidebat¹⁾. Sed diabolus, omnis boni invidus omnisque mali artifex, plurimorum salvandorum gratiam et salutem non sustinens confirmationem impedire, quamvis frustra, conatus est. Episcopus enim consentire nullatenus acquievit, quippe qui usque tunc ad huiusmodi nunquam inclinatus fuerat. Erat enim tunc temporis inter episcopum et comitem dissensio propter equos circa octoginta, quos servi episcopi violenter depraedati fuerant, cum comiti de Tekkelborch, adversario episcopi, victualia adveherent²⁾, pro quibus iam tertio colloquia et placita fiebant, nullo tamen prosequente effectum.

Sed tandem a domino Everhardo nobilis comes exoratus pro confirmationis libertate iniuriam dimisit et confirmationem admisit. Sed nec sic quidem antiquus adversarius quievit, sed quosdam de capitulo concitavit, quorum in hac re consensus esset necessario requirendus, qui insuper nullatenus permittendum esse iudicarent. *Sed non est prudentia, non est consilium contra Dominum³⁾, sed ipse comprehendit sapientes in astutia eorum⁴⁾*. Tres namque ex eis praecipue restiterunt, sed inaniter plane. Eadum enim hora, qua ad capitulum eundum fuit, primus lamentabili morte extinctus inventus est⁵⁾. Alter, archidiaconus ecclesiae Noerthordensis, dominus Hinricus de Buren⁶⁾, ad ecclesiam Paderbornensem, cuius etiam canonicus fuit, similiter eadem hora peremptorie citatus est, unde et ipse praesens esse non potuit. Tertius, dominus Adolphus de Brantelgt, canonicus⁷⁾ et etiam tunc temporis plebanus ecclesiae Noirthordensis, gravi casu et collisione corporis impeditus nec ipse venire potuit. His ergo ab-

¹⁾ 1392—1424.

²⁾ Vgl. über die 1393 beginnende Fehde zwischen Münster und Tecklenburg, in der also Graf Bernhard auf der Münster feindlichen Seite stand, C. Müller, Geschichte der alten Grafen von Tecklenburg, Osnabrück 1842, S. 206 ff.

³⁾ Prov. 21, 30.

⁴⁾ Job. 5, 13.

⁵⁾ Wer hier gemeint ist, läßt sich nicht feststellen.

⁶⁾ Er kommt bis 1397 als Domherr in Münster vor.

⁷⁾ Er ist wohl als Pfarrer von Nordhorn, aber, wie es scheint, nicht als Kanonikus nachzuweisen.

sentibus, eis vero, qui praesentes erant, nutu divino conterritis, et confirmatio cum privilegiis necessariis effectum consecuta est eodem anno Kalendas Maii die apostolorum Philippi et Jacobi¹⁾.

**De oratorii erectione et consecratione altaris
et cimiterii
cap. 7.**

Habita proinde hoc modo confirmatione dominus Everhardus etiam de perseverantia factus securior et animaequior confestim pro habitatione adventantium domum unam ligneam, prout temporis angustia permisit, aedificare coepit, in qua inferius oratorium cum refectorio, superius vero dormitorium fieri ordinavit. Ipsum autem praedictum oratorii locum chorus magnae ecclesiae lapideae comprehendit. Oratorio completo personas ad religionem aptissimas ac perutiles misit, videlicet dominum Hinricum Kyndeshoff ac dominum Herponem de Lemgo, qui iam actu erant presbyteri, quos dominus Everhardus pro domo et ecclesia sua ante aliquod tempus iam prius fecerat ordinari. Dominus Hinricus etiam aliquanto tempore devotarum sororum in Zwollis confessor fuerat. Cum his et alios plures clericos misit, scilicet Hermannum Plettenborch, Joannem Gulick et alios nonnullos. Deinde plurimi tam clerici quam laici ad habitandum paulatim advenerunt. De clericis praecipui erant Diricus de Brabantia, magnus et fidelissimus laborator et scriptor egregius, qui plures libros chorales et doctrinales conscripsit, dein Johannes Havelt, vir industriae et utilitatis magnae, qui in conversum postmodum creatus est. Venit et ipso tempore Nicolaus Dreyer, laicus fidelis, magnae humilitatis et patientiae, moribus insuper ornatus optimis, qui ultra quinquaginta duos annos pondus diei et aestus in labore et paupertate magna sustinere perduravit. Sed et omnes praedicti per aquam et ignem bene probati in fundamento sanctuarii Dei collocati sunt.

Tum pro loci consecratione etiam dominus Everhardus et Hinricus diligenter agitare aggressi sunt. Verebantur enim, ne quod impedimentum obviaret et omnis labor frustraretur. Sed Christi gratia, eorum industria cooperante opus prosperatum est. Eodem

¹⁾ 1. Mai 1394 (Döhm ann Nr. 27, S. 285 f.). Ich drucke die Urkunde im Anhang ab.

enim anno ipso die sancti Thomae¹⁾ apostoli per venerabilem dominum Wenemarum, episcopum Cymbaliensem, suffraganeum Monasteriensem de ordine fratrum minorum²⁾ ipsa consecratio facta est. Nam in praedicto oratorio unum altare in honore beatissimae virginis Mariae et alium seorsum locum pro cimiterio consecravit et annuam dedicationem in die apostolorum Philippi et Jacobi³⁾ sollempniter celebrandam instituit.

Insuper eodem tempore ex speciali commissione domini episcopi Monasteriensis, domini Ottonis de Hoya, primos huius loci quatuor fratres habitu canonicorum regularium investivit, scilicet dominum Hinricum Kyndeshof, dominum Herponem iam presbyteros, Hermannum Plettenborch et Johannem Gulick clericos et eorum professionem recepit. Deinde consilio, beneplacito ac voluntate dominorum Everhardi et Hinrici nec non consensu et votis fratrum investorum auctoritate episcopi secundum modum confirmationis ipsum dominum Hinricum Kyndeshof de Daventria in rectorem primum ordinavit et praefecit et curam animarum et temporalium administrationem rerum eidem commisit. Nondum enim monasterium istud sub capitulo generali fuit, sed immediate sub episcopo Monasteriensi⁴⁾.

In magnis itaque angustiis aliquanto tempore degebant tum propter rerum inopiam tum propter invidorum insolentiam in tantum, ut a nonnullis domus ista aliquando consurgere et proficere posse desperaretur. Sed et ipsi fratres iam pusillo animo fieri potuissent, si non a Christo et beata Maria sponsonem de fideli assistentia et subventionem accepissent firmissimam. Sed divino favore paulatim inhabitantium numerus adauctus est, adaucta et religio et devotio, sed et victualium competentia adaucta. Nam nobilis comes Bernardus et sacerdotes domini Everhardus et Hinricus ad omne bonum a dextris et a sinistris monasterio pro muro semper perseveraverunt, quibus statim benefactores praecipui Johannes de Beveren, Bernardus Pastoerken, nobiles castellani in Benthem et Novo Castro, Joannes Monyck, consularis in Scuttorpe⁵⁾, additi sunt, deinde plurimi viri et mu-

¹⁾ 21. Dezember 1394.

²⁾ Wenemar von Staden; vgl. Tibus, *Geschichtliche Nachrichten über die Weihbischöfe von Münster*, Münster 1862, S. 32—35.

³⁾ 1. Mai.

⁴⁾ Vgl. die Urkunde vom 1. Mai 1394 im Anhang.

⁵⁾ Johannes Monnik, Bürger zu Schüttorf, wird neben Eberhard v. Eza und Heinrich Krull schon in der Urkunde von 1394 (S. 21, Anm. 1) genannt. Über ihn und die anderen Wohltäter folgen noch genauere Mitteilungen.

lieres misericordiae, quorum iustitiae oblivionem non acceperunt *et hereditas eorum in aeternum erit*¹⁾). Sed de his alias, iam nunc de columnis domus inprimis commemorandum.

De primo priore Hinrico Kyndeshof cap. 8.

Primus autem, ut dictum est, pater, rector et prior, quamvis non sub capitulo Wyndesemensi, fuit dominus Hinricus Kyndeshof²⁾, qui a iuventute sua sic praeventus est a Domino *in benedictionibus dulcedinis*³⁾, ut hoc humana lingua vix eloqui possit. Nam cum adhuc adolescentulus esset, Deum timere et per viam mandatorum invadere coepit. Mundum et seipsum perfecte contemnens in fervore spiritus ambulavit, usque adeo spiritus fervore accensus, ut Daventriae in ecclesia canonicos et alios pompaticae in speciosis vestibibus incedentes ambitiosos corripere et arguere non vereretur, unde admirandae fiduciae adolescens praedicabatur. Deinde a domino Florentio praedictae congregationis Daventriae, qui et ipse magistri Gerardi Groet discipulus fuit, receptus quodam minus discreto fervore ultra vires iuvenilia membra debilitavit. Cum ergo dominus Everhardus, de quo dictum est, et corporum et animarum medicus totam congregationem devotam in sua domo educaret, ad hunc adolescens, ut curaretur, transmissus est. Ut ergo digiti eius et artus iam praemortui recalescerent et officia sua facerent, ad coquinae opera deputatus est⁴⁾. Ipse vero cum omni humilitate et mansuetudine ad iniuncta officiosissimus esse studuit. Qua de re dominus Everhardus eum in presbyterum ordinari fecit et tandem Zwollis versus ad sororum congregationem pro confessore ad tempus direxit. Licet enim anima eius tota decore virtutis radiaret, animarum tamen zelus in eo praecipue flagravit. Quantum ergo potuit, ad talia studia se convertit. Propter quod tam-

¹⁾ *Psalm. 36, 18.*

²⁾ 1394—1399. (*Das bisher angegebene Jahr 1400 verträgt sich nicht mit den folgenden Zeitbestimmungen.*)

³⁾ *Psalm. 20, 4.*

⁴⁾ *Ebenso Rudolf Dier S. 76:* Porro unus scholaris nomine Henricus Kirshof (*wohl eher zu lesen Kinshof*) oriundus a Daventria venit a Daventria ad ipsum dominum Everardum cupiens institui eius disciplina; constituit autem eum dominus Everardus, ut serviret in coquina.

quam communia, quando per viam ambulavit, hospitia declinans pauperum domicilia requisivit. Quadam itaque vice cum Daventriam versus cum fratre Herpone et aliis tribus clericis de Almeloe pro ordinibus suscipiendis missus pergeret, et ipse bona hospitia in Holten deserens ad quendam solitarium divertit et in fervore spiritus per devotas collationes cum eo noctem deduxit insomnem.

Et quia in virtutibus insignis et primus extitit, ideo etiam in regimine prior factus est et praelatus. Sed nec sic quasi potestate dominantem se ostendit, sed quasi caritate servientem. Pristinam humilitatem, simplicitatem, obsequii alacritatem custodiens implevit, quod scriptum est: „*Rectorem te posuerunt; esto inter eos quasi unus ex eis*“¹⁾).

Erat plane pater ille venerabilis vir simplex et rectus et bonus, magnae devotionis et praecipuae humilitatis et istam domum omni humilitate fundavit. Et propterea tam clericis quam laicis constitutiones quasdam probabiles instituit et ordinavit, prout discipulis claustralibus congruum et necessarium fuit, et diligenter servari districte mandavit. Tantus denique ei fervor inerat, ut modum legendi horas de beata virgine teutonica lingua et septem psalmos et vigiliis defunctorum, benedicite, gratias et alia nonnulla laicis primo institueret et indiceret. In quo per seipsum et per alios non parvum laborem impendit, eos die ac nocte, vespere, mane et meridie docendo et informando. Ipsi autem laici in discendo non ignavi non tantum praedicta, sed et in codicibus legere didicerunt in tantum, ut laboribus exterioribus occupati corde tamen Dominum orent, voce collaudent, nunc officium beatae Mariae cum horis de sancta cruce, nunc septem psalmos poenitentiales cum vigiliis defunctorum et alia nonnulla intus et foris, in agris et pratis omnes et quasi singuli sine omissione fideli alacritate persolvant. Sed et psalterium, centum articulos et alia plurima otio permittente frequentavit. Ad refectionem suam sacram lectionem iugiter audiunt, circa quindenam capitulum habent, toties etiam confessionem faciunt, infra annum sacram eucharistiam crebro percipiunt. Modum etiam salutandi invicem per nomen Jesus et Maria et ad horologii tactum et pulsus campanae et ad ingressum cellae salutationem angelicam dici ordinavit. Fuit quippe alacer valde in docendo, severus in corripiendo, sed temptatis et tribulatis multum benignus et efficax in consolando et in his paene iugiter insudabat.

¹⁾ *Ecclesiastic. 32, 1.*

Tantus insuper ei inerat pro domo Dei, pro religione, pro animarum salute zelus, ut pro his seipsum impenderet et superimpenderet. Et sicut patres nostri narraverunt nobis, sine discretione et sine personarum acceptione quoscunque et undecunque pro conversione adventantes recipiebat. Etiamsi tota Frisia et Hollandia conversa ad ipsum venisset, universos recepisset volens omnes homines salvos fieri et ad agnitionem nominis Dei venire. Et quamvis aliorum curam ageret, tamen seipsum non negligebat, sed in divinis absorptus exteriora non attendit animumque suum absque evidenti necessitate ad infima non inclinavit, sed sanctum Martinum, patronum suum singularem, voto et opere sequens oculis ac manibus in coelum semper intentus invictum ab oratione spiritum non relaxabat in tantum, ut sub rasore sedens et admonitus, ne laederetur novacula, vix admodicum orare desisteret.

Sed et paupertatem cum Martino in spiritu et in corpore, in utensilibus et in aedificiis et in rebus omnibus veluti Christi amicam et religionis sponsam colere curavit, corpore quidem pauper, tenuis et macilentus, semper spiritu dives et pinguis. Ex facie eius et verbis spiritus singulariter inflammativus sonabat et radiabat. Et ut spiritualia plenius promoveret, temporalia non multum curabat. Unde toto tempore prioratus sui paene nihil novi attentavit nec aedificiis ampliandis intentus fuit excepta solum ecclesia lignea, quae ab ipso inchoata, non tamen erecta, sed propter fratrum dissensionem de loco, in quo exigeretur, aliquamdiu in terra iacuit.

Tanta denique innocentia vir iste claruit, ut nunquam criminale aliquod ab infantia sua commisisse a confessoribus perhiberetur. Et cum totum se frequenter ad invisibilia extenderet, ad exteriora foris quasi insensibilis videbatur. Unde accidit, dum super turrim ligneam quaedam crux collocaretur cum clamoribus et tumultibus operariorum, ipse oculos nec saltem semel sursum intenderit, quamvis a quodam notabili viro cum proposito ad hoc temptatus incitaretur¹⁾. Haec est ipsa crux, quae post-

¹⁾ So kennt diesen Prior auch sein Zeitgenosse *Rudolf Dier*, der S. 62 f. erzählt: Qui quamvis exterioribus negotiis videretur occupatus, tamen ita absorptus videbatur, ut dominus Everardus (*in der Zeit als er noch bei diesem in Almelo war*) cogere ex ratione ipsi Henrico praecipere, quatenus ascendens per schalam applicaret manus ad schalam, ne caderet. Iste Henricus postea effectus prior in monasterio praedicto iuxta Northorn more suo valde internus fuit, unde erecta turri super ecclesiam ipsius monasterii (*dies ist nicht ganz richtig*) quidam dixit ei: „Prior, respicite turrim!“ Respondit: „Non est necessum“ et non respexit nec attendit. Quadam vice

modum in fronte ecclesiae lapideae erecta est. Et quia ipse toto se corde ad simplicitatem et ad virtutes convertit et cum Maria ad pedes Jesu sedere eiusque verbi dulcedine recreari quam multifariis distractionibus implicari elegit, ad hoc ipsum piis exhortationibus fratres suos iugiter incitabat. Sicque factum est, ut et labor et exhortatio eius non esset inanis coram Domino. Qualiter enim prior, tales et filii effecti sunt.

Fuit enim ipsis, tam fratribus canonicis quam clericis et laicis devotio praecipua et fervor extensus ad omnia. Oboedientia enim in eis tanta enituit, ut non solum laici ad opera gravia atque vilia essent parati, sed et fratres canonici et clerici etiam laboribus gravissimis et vilissimis, utpote secandis lignis, operibus coquinae et huiusmodi ad tempora longa se exponerent oboedientissime.

Insuper tanta caritas fraterna, ut unusquisque fratri laboranti etiam plus, quam necessitas requirebat, sui quodammodo oblitus ultra vires succurrere festinaret. Humilitas autem eorum ex his aliquantum dignosci poterit, quod unusquisque pro fratre suo ad vilia opera facienda paratissimum se exhibuit. Nam et hi, qui celebribus diebus officiis deputati non erant, aliis fratribus suis officialibus labores praeripere satagebant, videlicet pro mulsoribus mulgentes vel scutellas vel fratrum vestimenta abluentes.

Sed patientia eorum quomodo praedicabitur? Quae enim ab inexpertis vix credi postest. Tanta enim paupertas fuit, ut egerent paene in omnibus. Attamen fide et longanimitate constantes cuncta pro Domino gaudenter toleraverunt. Nam cum laboribus gravissimis incessanter insudarent, fuit tamen panis modicus, carnes paucissimae, tenuis potus. Sed, quod gravius est, aliquotiens omnibus consumptis nec panis nec potus supererat, quo vel uno die satiari possent. Nec tamen sic diffidentia mutabant, sed patienter, quoadusque suam benedictionem daret altissimus, sustinebant. Dum in quadam magnae festivitatis vigilia post ieiuniorum inedia, post pondus diei et aestus ad bibendam collationem post vespertas fratres conventuales convenissent, non tantum cerevisia, sed et tisana in monasterio defuit. Coquus ergo

ipse cum aliquibus aliis ambulavit iuxta Isulam, cumque ceteri respicerent incendium, quod ortum ultra Isulam erat, ipse continuit oculos, ne videret incendium. Plura alia virtutum insignia possent referri de ipso et illius monasterii fratribus, et etiam quaedam miracula inibi facta sunt, de quibus aestimo apud eos scripturam reperiri.

vicinos adiit et tisanam sibi commodari humiliter rogavit et ad refocillationem conventus attulit. Quid familiares habere poterunt, ubi tantam inopiam conventus sustinuit?

Et in his venerandus pater Henricus prior tanto patientiae clipeo munitus fuit, ut nulla rerum inopia eum deicere posset, quominus de divina pietate speraret. Nam humano deficiente auxilio continuo devotius et confidentius in orationibus Domino se et suos commendabat, qui eos desolatos non reliquit, sed tam inopinate et quodammodo miraculose eis providit, ut exhilarati fratres etiam in penuria de cetero patientissime perseverarent. Ipse enim bonorum memoria dignus Joannes de Beveren cum monasterii indigentiam rescire posset in frumento, brasio et lardo, in curribus liberalissime transmisit. Contigit interdum, ut victualibus consumptis etiam pecuniae deficerent, sed prior nihilominus currus et carrucas sine pecunia emittens Domini misericordia opitulante necessariis procuratis onustos recepit. In suis utensilibus simplicitatem et paupertatem dilexit. Carruca, in qua vehebatur, quamvis ea rarius utebatur, de rudibus resticulis contexta et ornata fuit.

His paucis de tanti prioris virtutibus tamquam spicis collectis ad reigestae seriem ordine debito ulterius prosequendum revertendum est. Hic autem venerabilis pater habitum religionis sex fratres canonicos quamvis diversis temporibus¹⁾ induit, scilicet fratrem Joannem de Berck, fratrem Hermannum de Grolle, fratrem Jacobum Lombardiae de Goch, fratrem Joannem de Gronyngen et fratrem Hermannum Zutphaniae et Gerardum Oldenwater. Porro de conversis investivit quatuor, scilicet fratrem Arnoldum Vrese, Joannem de Epe, Hermannum de Monasterio et fratrem Albertum Hinrinckinck. Omnes vero ab eo in habitu regularium investiti ante mortem ipsius aut obierunt aut a loco recesserunt, ut infra patebit, excepto fratre Joanne Gronyngen, qui bonus et devotus in religionis fervore usque perseveravit ad tempora prioris Theodorici de Vyanen. De conversis insuper duo, scilicet frater Arnoldus Vrese ad usque prioris Henrici Loder tempora²⁾ perduravit, et frater Albertus Hinrinckinck usque ad prioris Bartoldi³⁾ tempora, postquam in conversorum habitu annos quadraginta duos in bona simplicitate laudabilique conversatione peregisset, feliciter decessit.

¹⁾ Vgl. hierzu das 66. Kapitel.

²⁾ 1415—1436 († 1439).

³⁾ 1439—1446.

Cum itaque, ut praedictum est, huius praeclari patris tempore ecclesia lignea aedificata fuisset, multis tamen diebus in terra iacuit non erecta eo, quod de loco, in quo situaretur, fratres capitulares dissentirent. Nam aliis visum est, ut in campo, qui Scotencamp dicitur, propter aquam, quae Vechta est et praeterfluit, ecclesia cum monasterio fundaretur, aliis vero econtra sentientibus, tum quia in primo loco capellae altare consecratum esset, tum quia ante plures annos multa et magna mirabilia ibidem praeostensa et visa sunt¹⁾, tum propter monasterii ipsius paupertatem et tenuitatem campus, qui fertilis et utilis est, servari oportere, qui insuper pro toto monasterio fundando angustior esset.

Eo quidem tempore conventum pater Hinricus cum sex fratribus et uno novitio, scilicet Gerardo Oldewater tenebat. Prior itaque cum tribus senioribus fratribus in loco primae capellae ecclesiam erigendam putabant adhaerentibus eis fundatoribus, inclito comite venerabilibusque dominis Everhardo et Hinrico. Alii vero in sententia perseverantes, ut in campo fieret, quantum poterant, conati sunt. Pro cuius dissensionis decisione notabiles religiosi ac devoti viri, pater Johannes Vos, prior in Wyndesem²⁾, dominus Johannes Brinckerinck, quondam discipulus magistri Gerardi Magni, tunc temporis confessor sororum in domo magistri Gerardi Daventriae et postea fundator monasterii monialium in Depenvene³⁾, et dominus Amilius, primus post dominum Florentium rector et pater clericorum in Daventria⁴⁾, cum quibusdam aliis accersiti sunt. Qui et ipsi tribus fratribus consentientes in campo fundari arbitrabantur, quamquam comiti et aliis aperte contradicere nollent. Unde factum est, ut secundum vota comitis et aliorum in loco capellae primae ecclesia lignea magis erigetur, maxime etiam domino Everhardo asserente, sicut praedictum est, quod ibidem in principio aviculam deponere ac modulari „hic, hic, hic“ quasi miraculose vidisset⁵⁾. Ita ergo a Domino factum est, ut iuxta aviculae praecinensis ostensionem tria loca in unum convenirent. Siquidem locus primi oratorii et chorus ac sanctuarium ecclesiae magnae lapideae iste est, et sacristia

¹⁾ Vgl. S. 23.

²⁾ Vgl. S. 20, Anm. 1.

³⁾ Vgl. über ihn L. Schulze in der *Realenzyklopädie f. protestant. Theologie* 3³, 409—411 und W. J. Kühler, *Joh. Brinckerinck en zijn klooster te Diepenveen*, Rotterdam 1908.

⁴⁾ Amilius Asche von Buren, 1400—1404 Rektor des Fraterhauses in Denter (Dier S. 52 ff.; *Realenzyklopädie f. protestant. Theologie* 3³, 480, 483).

⁵⁾ Vgl. S. 24.

lapidea cum adiacenti ambitu locum secundae ecclesiae lignae nunc comprehendit. Prima capella septem annis stetit¹⁾, secunda quadraginta quatuor²⁾. Sed tertia, quae nunc est³⁾, ad laudem Dei iugiter perduret, in qua altithrono Domino in excelsis laudes resonant.

Et ut aliquid secreti mysterii de primo oratorio referatur, contigit, ut quidam conversus per dominum Hinricum Kyndeshof vestitus, cuius nomen in libro vitae scriptum speratur, probationis suae tempore graviter temptaretur et anxie tribularetur adeo, ut habitum deponere deliberaret. Sed Dominus et beatissima virgo Maria magnae ostensionis suae fecerunt virtutem promissionem complentes et, quanta illic pietate tribulatis adsint, declarantes. Nam protectio Dei et clementia virginis per hunc modum eum relevaverunt et consolatae sunt. Omnium namque sanctorum gloriosa sollemnitas advenit, in qua et ipse novitius conversus matutinis cum aliis afit. Et ecce, mirum dictum, cum ventum fuisset ad hymnum „Te Deum laudamus“ decantandum, visa est illi converso corona desursum delabi et super fratres in choro hymnum cum ingenti devotione et cordis alacritate decantantes expansa. In qua denique corona virgo innixa apparuit pulcherrima plurimis virtutibus angelicis stipata. Dum vero hymnus praedictus finiretur in versu „In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum“, corona ab oculis eius subtracta in coelum recepta est. Qua visione is, qui ante temptabatur, recreatus est, ut et professionem gaudenter faceret et laudabili conversatione bonam et longaevam vitam deponere duceret.

Sed quia, ut dictum est, iuniores de ecclesiae loco et situ voluntatem suam obtinere non poterant, rancorem tamen corde fixum tenebant. Professionis itaque tempus novitii Gherardi Oldewater praedicti advenit. Sed metuens prior Hinricus et seniores, ne post professionem ad illos declinaret, professionis ad modicum dilationem eidem suadere temptabant, donec fratrum iuniorum conceptus rancor sopiretur et quiesceret, promittentes, quod post hoc eum nihilominus libentissime reciperent. Ille vero dilationem non sustinens, scilicet et contemni se iudicans, novitatus habitum exuens et suas depositas vestes reassumens in viam abiit.

Sed cum discordia in iuniorum mentibus male staret ac perseveraret, venerabilis et humilis pater Hinricus gemens cordis quie-

¹⁾ 1394—1401.

²⁾ 1401—1445.

³⁾ *Eingeweiht 1445; vgl. Kap. 57.*

tem ac pacem et conscientiae puritatem opprimi ac perturbari vehementer doluit. Officio ergo magis cedendum, quam in contentionibus vivendum utilius arbitratus est. Bene igitur deliberatus et praemeditatus, postquam in maximo fervore circa quinque annos in regimine et officio prioratus laudabiliter et utiliter praefuisset, sponte et humiliter resignavit¹⁾.

Eo autem tempore monasterium generali capitulo de Wyn-desem nondum incorporatum fuit. Nam imprimis ipsi et fratres alienis et extraneis subici fundatores recusarunt, licet, demum anno sexto generali capitulo incorporari consentirent²⁾.

Vacante itaque prioratu unus de illis iunioribus, Hermannus Zelem de Grolle, de domus regimine pauco tempore se intromisit. Sed quia propter quorundam resistantiam confirmationem ab episcopo Monasteriensi obtinere non poterat, recedere disposuit. Aliquanto ergo tempore decurso, cum sacerdotali ordine sublimatus esset, cum suis adhaerentibus discessit et a loco se dismembravit. Recedentes cum ipso fuerunt frater Johannes Gullick, Jacobus Lombardiae de Goch et Gherardus Oldewater, quondam novitius. Sed eorum separatio divina dispensatione facta creditur; nam aliud solemne monasterium regularium per eos exortum est, scilicet Gaesdonck prope Goch³⁾. Et sic omnipotens Deus omnia melius ordinavit, licet humana sapientia hoc ignoret.

¹⁾ 1399.

²⁾ 1400; vgl. das Ende des 9. Kapitels.

³⁾ Vgl. R. Scholten, *Gaesdonck, Münster, 1906, S. 4 f. Im Gaesdoncker Gedächtnisbuche heißt es (ebd. mitgeteilt) zum 14. Februar: Anniversarium fratris nostri Jacobi de Lombardia, presbiteri prope Noerthoirn professi, sed in Goch pro novi monasterii erectione transmissi et ibidem defuncti und zum 20. Dezember: Anniversarium fratris Johannis Scheerre de Juliaco, pbr. professi huius domus. Hic primum investitus fuit habitu s. religionis prope Noerthorn in prima fundatione monasterii anno Domini 1394. ipso die b. Thomae apostoli atque inde missus fuit in Goch pro erectione novi monasterii anno Domini 1400. — Beachtenswert und mit der Erzählung unseres Chronisten nicht recht vereinbar sind die Ausdrücke „transmissus“ und „missus“. Scholten nimmt deshalb an, daß der eigentliche Grund des Zerwürfnisses in Frenswegen die Frage des Anschlusses an die Windesheimer Kongregation gewesen sei. Die Anhänger des Anschlusses seien auf Veranlassung des Priors von Windesheim abgezogen. Aber dazu paßt doch wieder nicht, daß zur Zeit ihres Auszuges das Kloster die Genehmigung, der Windesheimer Kongregation beizutreten, offenbar schon beim Papst beantragt hatte. Die Erlaubnis zur Errichtung des neuen Klosters in Goch wurde von Herzog Wilhelm von Geldern am 11. April 1400 erteilt, während Frenswegen bereits am 29. Februar 1400 die päpstliche Erlaubnis zum Anschluß an Windesheim erhielt (vgl. unten). — Jacobus de Lombardia starb am 14. Februar 1404, Scheerre war 1435—1440 Rektor in Nazareth in Geldern und starb am 20. Dezember 1452 (Scholten S. 116).*

Post illorum discessum frater Hermannus Plettenborch, unus de quatuor primis investitis, a fratribus canonicè ac rite est electus et per episcopum Monasteriensem litteris sigillatis in priorem confirmatus.

Venerabilis vero pater Hinricus quasi maiori quiete et causa Deo vacandi nacta lectionibus, orationibus, meditationibus, exhortationibus et piis exercitiis intendens cordialiter et ferventissime ad Deum aspirabat. Cuius vota Dominus aspiciens peste inguinali, quae septimo foundationis anno desaevit¹⁾, eum vocare dignatus est. Qui mortem adesse sentiens nequaquam timore, ut naturaliter moris est, deiectus est nec de terribili hora diffidendo elanguit, sed quasi vere laborum suorum praemia recepturus pro pallio maeroris vocem laudis assumpsit. More namque sanctissimi Martini, patroni sui, oculis ac manibus in coelum intentus ait: „Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Te aeternum patrem omnis terra veneratur. Tibi omnes angeli“ etc., „Benedictus Dominus, Deus Israel, quia visitavit“ etc. „Laudate Dominum de coelis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes angeli“ etc. Sic illa sancta anima cum hymnis et laudibus de carnis carcere soluta est. In cuius infirmitate vel decessu nec doloris nec tristitiae ullum signum adverti potuit, sed quasi in indicium reservatae innocentiae et caritatis primae quodam levi sopore in pace in idipsum visus est obdormire.

De priore Hermanno Plettenborch

cap. 9.

Post patrem Hinricum frater Hermannus, ut dictum est, Plettenborch prior creatus est²⁾). Vir iste per omnia, quae ad religionem pertinent, aptus inventus est, utpote ad legendum, cantandum, scribendum, ad interna insuper sedulus et fervidus, circa exteriora vero utilis, discretus et providus. Et ut compendio laus eius declaretur, eloquio dulcis, moribus modestus, corde et opere iustus et pius, Deo et hominibus dilectus fuit, sic denique secundum utriusque vitae statum temperatus, ut et exteriora respiceret et interiora non negligeret.

¹⁾ 1401, *Kindeshof starb am 1. Juni (Nekr.)*.

²⁾ 1400—1401.

In principio enim domus, cum in clericali adhuc esset probatione constitutus, coquinae officium sollicitare ipsi iniunctum est, et cum tanta esset inopia, ut non tantum res necessariae sicut cibi, sed et vasa et utensilia deessent, ipse tamen se in sollicitudine hilarem, in paupertate exhibuit locupletem, ut quod rebus implere non posset, benignitate tamen et pietate suppleret. Vespere autem facto post pondus diei et aestus fidelem suum famulum mira quadam et exuberanti gratia pius Dominus saepe perfudit ac recreavit, illuminavit ac confortavit, ut postea fateretur, si in tali mentis statu perseverare potuisset, nunquam pro coquinae officio praelaturam appeteret. Cum autem quadam vice in die sancto pentecostes sanctum evangelium „*Si quis diligit me*“¹⁾ legeret, tam copiosa sancti spiritus infusione repletus est, ut in excessu mentis raptus, prae nimia cordis dulcedine evangelium iam inchoatum finire non posset.

Factus autem prior tamquam fidelis servus et prudens adusque vitae suae terminum monasterii utrumque statum laudabiliter et religiose gubernavit. In regimine tamen parvo tempore vixit. Ecclesiam autem ligneam a praedecessore suo iam aedificatam huius actione erectam, tectam et consummatam comperitum est, sed propter supervenientem pestem inguinarium minime consecratam.

In ordine etiam canonicorum quatuor novitios investivit, primo Theodoricum de Huxaria et Hinricum de Beesten, deinde Henricum de Borken et Ernestum Scopingem, et unum conversum Johannem Havelt de Drenthia²⁾.

Eius insuper tempore monasterium vigore bullae exemptionis domini Bonifacii papae noni capitulo de Wyndesem incorporatum est anno gratiae millesimo quadringentesimo³⁾.

¹⁾ Joh. 14, 23.

²⁾ Vgl. Kap. 66.

³⁾ Am 29. Februar 1400 erteilte Papst Bonifaz IX. dem Konvent die Erlaubnis, sich der Windesheimer Kongregation anzuschließen (Döhmann Nr. 55 S. 291 f.). Die Urkunde ist nach einer lückenhaften Abschrift mitgeteilt von D. J. M. Wüstenhoff, *Freundeswege in de Windesheimer Congregatie ingelijfd door Paus Bonifacius IX., im Archief voor nederl. Kerkgeschiedenis D. 5 (1895), S. 326—335. Am 8. Juli 1400 bedanken sich Prior und Konvent bei Windesheim für die Zulassung (Döhmann Nr. 56 S. 292). Ich drucke beide Urkunden im Anhang ab.*

De prima pestilentia et de morte prioris Hermanni cap. 10.

At quia Dominus dives est in misericordia et in remuneratione largissimus, hunc servum suum et aliquos subditos, postquam in opere et agro Domini fideliter aliquamdiu laboraverant, liberalissime remunerare disposuit iuxta, quod scriptum est: „Cum emeris servum Hebraeum, sex annis serviet tibi, et in septimo egredietur liber gratis“¹⁾. Siquidem foundationis septimo anno²⁾ peste inguinaria hac eos occasione tetigit ac visitavit.

Cum in domo magistri Everhardi, plebani in Almeloe, in vigilia paschae³⁾ iuvenis quidam ea peste occubisset, statim post festum cum novitio Hinrico Beesten ad dominum Everhardum de illo consulendum pater Hermannus profectus est. Tantis enim tribulationibus et tentationibus per probationis suae annum et circa tempus professionis idem iuvenis molestatus est, ut illum deponere habitum professionemque omittere prior dolens decerneret. Sed quia a domino Everhardo missus fuerat, eius consilium statuit requirendum. Accidit itaque priorem cum novitio Hinrico in eadem camera, qua iuvenis discesserat, cubitum ire. Et quamvis hoc priori dictum esset, ipse tamen mortis intrepidus lectisternia ac vestimenta audenter attrahebat. Unde factum est, postquam ad monasterium redierunt, hi primum hac peste correpti sunt. Sed et in domo domini Everhardi sacerdotes et clerici obierunt.

Cum itaque venerabilis prior cursus et certaminis sui consummationem adesse sentiret, visitatis ac valefactis primo sibi commissis fratribus et sororibus in cella valetudinaria se recepit. Et ne confunderetur coram inimicis in mortis porta, vivifico ac coelesti sese initio univit ac munivit sacramento. Quo participato cunctis sepositis tanquam prudens viator ad patriam, quam desiderabat, ardentissime intendit. Et cum iam minister infirmarius mortem illi vicinam maerens nuntiaret, ille respondit: „Si ita se res habet, bene quidem et feliciter! Sanctos itaque meos patronos alloquar et amicos“. Angelos enim Dei ac sanctos imprimis invitandos dignum ac necessarium duxit. Et ut cor suum liberius ac purius effundere posset, secretum petiit. Tunc litanias fiducialiter incepit et coelestes advocatos in patrocinium sui accivit.

¹⁾ Exod. 21, 2.

²⁾ Also 1401. Einen terminus, ante quem liefert Thomas von Kempen an der zum 18. Kapitel zitierten Stelle. Heinrich Beesden starb bereits am 23. April, der Prior am 18. Mai, die übrigen im Juni; vgl. das Totenbuch.

³⁾ 2. April 1401.

Sed interea princeps tenebrarum, qui humanae saluti semper invidens, hominis tamen calcaneo maxime insidiatur cum suis satellitibus male promptis, auxilium praevenire ac impedire aggressus est. Nam vigilantibus oculis vir Dei in visione miram nigerrimorum corvorum ac cornicum ad eum concitato volatu properantium multitudinem conspexit, qui locum, in quo aegrotus ipse decubuit, parietes undique occupabant et replebant et, ne parietum albedinem discernere posset, suis umbraculis ac pennis obtegebant. Sed quid ageret, et tam inopinata terribilique visione territus et undique perstrictus quo se verteret? Resumptis denique viribus ad matrem gratiae, matrem misericordiae, ad ipsam inquam gloriosissimam Dei genitricem, virginem Mariam tota mentis fiducia et instantia confugiendum tutum iudicavit. Nam beatissimae virginis imago, mulier amicta sole et corona stellarum duodecim in capite eius et luna sub pedibus eius, coram eo pendebat. Mox enim cum ipsa coeli regina et inferni imperatrix a viro Dei invocata fuisset, omnis illa cornicularum et corvorum multitudo teterrima quasi ad tonitruum vocem tremebunda diffugit. Nam virginis invocationem, nominationem ac praesentiam grex ille pessimus sustinere non potuit, cuius pedibus caput suum contritum continue ingemiscit.

Qua visione vir Dei probatus et purgatus et coelesti demum visione recreatus ac liberatus, tum deinceps sanctos angelos in albis ingredienti- vidit et ad ministrum ait: „Qui sunt hi, qui ingrediuntur?“ Minister autem advertens et intelligens, quia visionem videret, respondit: „Quid, pater, videtis?“ Respondit: „Quosdam in albis video, qui me veniunt consolari.“ Cessante autem visione ad exitum suum continuo conventum advocari iussit. Quo facto cum ex more litaniae imponerentur, ipse, quia adhuc cognitione et devotione plena vixit, fratres, ut altius vel bassius legerent, admonuit. Miro itaque modo super seipsum et pro seipso in mortis hora cum flentibus fleuit, cum legentibus legit et cum orantibus oravit. Sana igitur mente sanoque consilio coram positis fratribus et orantibus obdormivit cum patribus suis in pace. Et quia in iuventute sua seipsum abnegavit sequens Christum et mundum cum suis oblectamentis sprexit, merito secundum fidelissimam Domini promissionem primum *centuplum*, deinde *vitam aeternam*¹⁾ recepit.

Porro ante ipsum bonae memoriae priorem praedictus novitius²⁾ eadem iam peste decesserat. Etenim ne susceptum exu-

¹⁾ Matth. 19, 29.

²⁾ Heinrich Beesden; vgl. S. 38, Anm. 2.

eret habitum, prius carne solutus est, et ne ad saeculum male rediret, prius ad aeternam vitam feliciter ductus est, primus de novissimo factus. Quem sane iam *in benedictionibus dulcedinis*¹⁾ Dominus praevenerat, scilicet naturae vivacitate et ingenii perspicacia. Sed quantum maioribus donis praeditus fuit, tantum illi zabalus amplius invidit et tentationibus molestavit acrioribus. Nam pridem inimici laqueis e domini Everhardi devota congregatione captus ad saeculum redierat. Sed divinae miserationis flagello correptus et in gravem lapsus aegritudinem improvisae mortis horrore percussus et religionem ingredi et Domino servire devovit. Pro qua re domini Everhardi et consilium et auxilium iterum petiit et obtinuit et illius provisione in monasterio Nemoris beatae Mariae virginis receptus et investitus est. Sed quia antiquus hostis eum denuo seducere pertentavit, altiori Domini consilio raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius aut ne fictio deciperet animam illius, et consummatus in brevi explevit tempora multa. His ergo duobus tamquam primitiis de Nemore virginis et agro receptis statim praedictus prior Hinricus Kyneshof cum suo suppriori fratre Herpone ad Domini horreum congregati sunt²⁾).

De Herpone suppriori cap. 11.

Frater Herpo, primus supprior primi prioris, patris Hinrici, cum eo investitus, propterea et promotus fuit, siquidem ambo viri virtutum et principales spiritualis vitae institutores discipuli domini Everhardi, quorum Hinricus coquus eius³⁾, Herpo vero vaccarum illius et pastor et mulsor extiterat. Et quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati. Sicut ergo socii tribulationum fuerunt in labore et in aerumna, in fame et siti, in frigore et nuditate fundamenta monasterii collocati, sic et consolationis facti sunt, una die invicem salutantes ac valedicentes et decedentes coelestibus praemiis remunerati. Fuit namque illo tempore pestilentiae domuncula quaedam segregata, in qua pro huiusmodi infirmis septem lecti ordinati fuerant et sancti patres inibi decumbabant.

¹⁾ *Psalm. 20, 4.*

²⁾ *Kyneshof und Herpo starben am 1. Juni 1401.*

³⁾ *Vgl. S. 28.*

Porro frater Herpo homo modestus simplex et rectus fuit, cum quo Dominus in hac vita ambulare quasi experimentaliter visus est, sicut scriptum est¹⁾: „*Cum simplicibus Dominus graditur*“. Quamquam a quibusdam fatuis hominibus simplicitas sancta aliquando derideatur, sicut in Job legimus: „*Deridetur iusti simplicitas*“²⁾, huius tamen columbina simplicitas Domino multum placita, imo gratissima fuisse ostensa est, dum ipse sacerdos Christi vivifica et divina sacramenta conficeret et offeret. Nam in eius salutari celebratione coelestis visio demonstrata est. Nam quaedam virgo maximam angelorum ac sanctorum multitudinem eidem assistere vidit, quorum aspectu mirabili gaudio repleta et recreata fuit. Ex miris autem operibus, quae virgo vidit et quibus intenta fuit, cum legeret evangelium, nec legere poterat nec orare. In elevatione dominici corporis et pretiosi sanguinis vidit duos angelos celebrantis brachia sustentare et cum elevante reverenter valde pariter elevare. Facta autem elevatione cum summa nihilominus reverentia complicatis manibus eos inclinare et adorare conspexit. Gloriosissimam quoque Dei genitricem virginem Mariam celebranti pariter assistere vidit. Inter cetera vero non parum mirabatur, quomodo prae multitudine angelorum et sanctorum ad altare circumquaque confluentium et in altariam consistentium, quibus quasi undique circumveniretur et compressus videbatur, ipse celebrans movere se posset. Plurimum insuper vacillabat et intra seipsam aestuabat, an et ipse sacerdos de coelestis curiae frequentia illi divino ac salutari mysterio tam sedulo assistente aliquid fortassis persentiret. Postremo cum in fine missae benedictio super populum fieret, super celebrantis caput pulcherrimum puerum ipsam benedictionem cum fratre Herpone pariter facientem vigilantissime intendit. Diligentissime itaque praedicta virgo servum Domini, ut in celebratione se continuum exhiberet, hortata est asserens, quod maligni hostis operatione fieret, quod ad tam divinum et fructuosum opus scrupulosus esset. Si etiam fortassis ad ipsum sacramentum optatam non sentiret devotionem, nec propterea sibi abstinendum fore. Neque etiam illi expediret, si prae aliis semper affectionis copiam pro voto haberet. Nam etsi aliquando ex divina dispensatione ad hoc se minus affectatum inveniret, coelestis nihilominus curiae frequentia ad coeleste mysterium conveniret.

¹⁾ Wörtlich kann ich dies Zitat nicht nachweisen. Vielleicht ist gemeint Prov. 3, 32: *Cum simplicibus sermocinatio eius.*

²⁾ Job 12, 4.

Iste servus Dei innocens, purus et devotus quanto prae ceteris coelestibus privilegiis videbatur sublevatus, tanto pro humilitatis custodia per multas tribulationes, temptationes et daemonum infestationes exercitatus est ac probatus et non solum extra missam, verum etiam inter celebrandum adeo, ut circa canonis verba et consecrationem anxius esset et perplexus. Angelus quoque Satanae, ipsa caro infirma, Dei hominem, dum colaphizavit, humiliavit. De quibus omnibus tamen per revelationem certificatus fuit haec non ad demeritum et damnationem, sed ad ipsius purificationem ac coronationem fieri. Sic ergo in fide sua probatus et cognitus fidelis, quia vidit Dominum lucis, mortisque intrepidus feliciter transivit ad Dominum.

**De consolatione beatæ Mariae virginis
fratrum infirmorum
cap. 12.**

Et ne ista correptio, qua Dominus monasterium castigavit, ut peste inguinaria de fratribus, clericis et laicis initio decem et octo percelleret in tantum, ut de conventu unus tantum frater, venerabilis senior Johannes de Gronynghen cum uno novitio superesset, scilicet Ernesto de Scopingem, de ira existimaretur, in principio per beatæ Mariae virginis visitationem populum suum Dominus consolari dignatus est. *Pretiosa itaque in conspectu Domini mors sanctorum eius*¹⁾. Cum enim in ipsa infirmaria in septem lectulis aegroti decumberent, iuvenis quidam duodecim annorum innocens et purus in lecto suo sedens vestitus et erectus gloriosam Dei genitricem virginem Mariam prope ipsum assistere vidit eumque maternaliter consolari, deinde beatam virginem per ordinem ad singulos infirmos transire eosque visitare ac recreare patenter aspexit. Quam visionem ipse iuvenis omnibus audire volentibus manifesta protestatione confidenter declaravit atque etiam singulariter, qua hora circa quemlibet constiterit pauperum consolatrix et humilium mater, interrogantibus ipse insinuavit.

Visum est ergo priori Hinrico, ut deinceps domus illa in maiori reverentia haberetur et refectorium beatæ Mariae virginis appellaretur. Illic enim angeli suos visitant, inde ad angelorum choros animæ sanctæ ascendunt, venit coeli regina ad servulos

¹⁾ *Psalm. 115, 15.*

suos de mundo migraturos, venit reorum advocata, venit domestica, venit consolatrix et patrona. O magnam tantae matris ad tantillos filios dignationem. O salutarem filiorum fiduciam ad tantam matrem! Creberrime ergo invocanda et frequenter veneranda, quae necessitatibus miserorum invocantium deesse non poterit. Tunc ergo corporaliter et visibiliter suis assistere voluit, ut semper spiritualiter, invisibiliter et efficaciter se adesse monstraret.

De Dirico Huxariae et de coelestibus exequiis cap. 13.

Eodem tempore frater Diricus Huxariae novitius circa extrema sua professus est. Hic licet aetate iuvenis esset et decorus, religione tamen gravis et maturus fuit. Paternarum quidem traditionum, praesertim ipsius Hinrici Kyndeshoff aemulator extitit zelosus. Hic in vespertino crepusculo cum media nocte superveniente esset moriturus, quandam admirabilem dealbatorum turbam ad ipsum venientem vidit, qui infirmitatis illius stratum ambientes et singuli codices in manibus tenentes tamquam coelestes agentes exequias super ipsum velut in procinctu iam migraturum psalmodiam lectitabant. Quae cum visio disparuisset, infirmorum ministros aeger advocat et, quidnam illi vigilanti et in lectulo resupino decubanti per visum manifeste apparuit, clandestine revelat. Media autem nocte in extremo vitae constitutus et anhelus spiritu laborans ab infirmario requisitus est, an illam ipsam, quam vespere visionem aspexerat, videlicet dealbatorum turbam ad suas exequias adesse sentiret, et si patrocinium eorum iam iamque experiretur. Ille vero voce, qua potuit, respondit: „Imo ipsi mihi iam adsunt et fideliter me protegunt; alioquin, nisi ipsi mihi assisterent, non praevalerem, sed deficerem.“

Et ut sciamus, quam esset mori intrepidus, iam ante suam infirmitatem per aliquot dies quasi prope praescius mortis seriose institit, ut ei in infirmatorio lectulus sterneretur, in quo, dum infirmitate tangeretur, collocari posset. Et dum ibidem reclineretur, homo quasi gravis et disciplinatus ita viscerose ridere coepit, ut vix seipsum cohibere posset. Causam vero risus et gaudii sui nemini indicare consensit, nisi quod certe indicium fuit, quod

vitam habuit in poenitentia et mortem in desiderio *cupiens dissolvi et esse cum Christo*¹⁾.

Humilitatis radicalis exemplum dedit, quia ad officia humilia et opera laboriosa promptissimus fuit. Nam lavandarum vestium, tam laicorum quam fratrum eidem officium prior imposuit, ad quod ex humilitate tamquam ad magnam praelaturam in spiritu exultavit.

De Hinrici Posteken visione cap. 14.

In eadem etiam strage Hinricus Posteken, laicus familiaris, apostemate sauciatus est, quem tamen Dominus, qui *vulnerat et medetur, percutit et manus eius sanabunt*²⁾, mirabili visione recreare, relevare, sanare voluit. Dum enim in sua aegritudine decumberet, manifeste Dominum nostrum Jesum Christum quasi illum praecedere ac sanctissimae passionis suae crucem baiulare et cum quadam nimia corporis fatigatione tamquam sub cruce ruiturum miserabiliter valde incedere conspexit. Qua denique visione significatum videtur, quod nondum vitam finire, sed crucem suam tollere et Christum sequi deberet, videlicet certamina, labores et fatigationes tolerando.

De Dirico de Brabantia et illius gratia ac diligentia cap. 15.

Fuit item tunc temporis quidam de senioribus clericis nomine Diricus de Brabantia, vir grandaevus multumque maturus et in monasterii operibus fidelissimus. Hic monasterii huius prima psalteria et plures libros chorales alacri sedulitate conscripsit et pernotavit. Sed et pro temporum opportunitate ad communes et externos labores sese exhibuit promptissimum. Qui et ipse ea peste infectus et mortuus est.

Iste homo dum vixit, frequenter de cordis sui alacritate et devotionis inopia conqueri solitus fuit. Homo zelosus ac disci-

¹⁾ *Philipp. 1, 23.*

²⁾ *Joh 5, 18.*

plinius fuit. Quem tamen Dominus, qui *potens est, omnem gratiam abundare facere in nobis*¹⁾, circa vitae finem tam exuberanti devotione et insolita virtutum gratia debriavit, ut his, qui hominem prius noverant, quasi in alterum virum mutatus videretur, ut puta qui totus novo fervore flagrabat et coelico rore manabat. Porro totus mitis et humilis, totus gratiosus et suavis effectus est. Nam et cum duo grandia et horrida pateretur apostemata, unum quidem patefecit, aliud vero, quod retro ad lumbos habuit, in vita sua omnino celavit, super quod tamen poenali cruciatu ipsum paene continuo iacere oportuit. Quod tamen post mortem eius inventum est et patientia eius in illo mirabiliter comprobata. Unde et in hoc singularis et gratiosa visitatio et visio completa est.

De Johanne de Moguntia cap. 16.

Johannes de Moguntia dictus de Judaeo factus Christianus ac baptizatus eadem peste sublatus est. Hic dum mortis horam adesse sentiret, clamare coepit: „Latrones! latrones!“ In quo hoc interpretandum videtur, quod ei maligni spiritus fidei naufragium intentarent ac vitam gratiae et bona spiritualia auferre molirentur, quod tamen misericors Deus non permisit, sed prius gratia praeviente eundem ex hac vita migrare fecit. Siquidem dominus Everhardus, qui ad monasterium eum miserat, testimonium tale de eo perhibuit, si diutius in hac vita permansisset, de illius perseverantia satis timeret. Judaeis etiam baptizatis saepe contingere solet, ut, nisi speciali gratia a Domino praediti fuerint, in pristinos errores male relabantur.

In eadem insuper tribulatione et alii nonnulli viri virtutum et laude digni transierunt usque ad decem et octo animas, inter quos etiam fuit Tylemannus de Drenthia, qui in subiugando carnem strenuus et in scientiis naturalibus non mediocriter eruditus fuit.

Ecce, quod *vere non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli*²⁾ et quod *Dominus est in loco isto*³⁾, multis indiciis et appa-

¹⁾ 2. Cor. 9, 8.

²⁾ Gen. 28, 17.

³⁾ Ebd. 28, 16.

ritionibus deificis declaratum est. Nam tartareae potestates effugatae sunt ad Mariae invocationem, ipsa coeli regina suos visitavit aegrotos, salvator mundi cum cruce apparuit, coelestes exequiae a turbis candidatorum celebratae sunt, corda prius arida coelestibus sunt fecundata carismatibus. En Christus, Maria, angeli, beati, exuberans gratia. Quid hic amplius requirimus? Sic infirmatorium istud, refectorium Mariae nuncupatum, tunc circa locum, ubi nunc est officina sutorum, situatum Deus glorificandum decrevit. Sed et alii multi non modice inibi recreati sunt.

De suavi odore in infirmitorio cap. 17.

Ea temporis adversitate quidam de monasterii fundatoribus fratres visitare ac consolari statuerunt. Igitur dominus Hinricus Crul, pro tunc curatus ecclesiae Scuttropensis, Bernardus Pastoerken de Novo Castro et Hinricus Schekel, consularis de Scutorpe speciali devotione ac caritate advenerunt. Qui cum infirmariam introirent et lectulis, in quibus aegroti respirabant, approximarent, mox quandam miri et gratissimi odoris fragrantiam persenserunt, quae omnium apothecarum aromata, quae unquam in hac vita ipsi experti fuerant, mira suavitate vincere putabatur. Quo illi obstupefacti miraculo gratiam divinam mirantes multis annuntiaverunt, quod illic pro foetore suavem odorem et pro apostematum sanie aromatum fumum comperissent respersum.

De fratre Vulfardo ex Monte sanctae Agnetis cap. 18.

Cessante itaque per Dei misericordiam pestilentia a principio foundationis usque tunc circa viginti quinque de fratribus et familia mortui sunt, quorum postremus fuit quidam saecularis presbyter devotus et bonus, sed caecus. Et hic in extremis suis angelica visitatione meruit consolari.

Cum itaque de conventu, ut dictum est, solus frater Johannes Gronynghen, vir venerabilis et grandaevus, cum novitio, fratre Ernesto Scopinggen de Almeloe, superesset, socium presbyterum pro suis necessitatibus desiderare coepit. Accidit autem, quod

frater quidam in Monte sanctae Agnetis prope Zwollis venerabilium patrum mortem audiret, qui et dixisse fertur: „O quam felix esset, qui cum sanctis illis mori potuisset!“ Et hic frater Vulfardus de Medenblick fuit habens et ipse filium sacerdotem cum domino Everhardo in Almeloe commorantem¹⁾. Necessitate igitur urgente praedictus frater Johannes Gronynghen fratrem Arnoldum conversum ad praefati monasterii priorem misit rogans, ut ei misericorditer subveniret et aliquem de suis sacerdotibus concederet. Qui respondit se hoc libentissime facturum, si aliquis ad hoc voluntarius ac spontaneus inveniri posset; nam praecipere alicui non auderet. Cum ergo conversus aliquos fratres scrutaretur, praedictum fratrem Vulfardum paratum invenit atque promptissimum. Qui benedictione a priore obtenta cum converso Arnolde usque in Hardenberg devenit. Et cum a matre familias in hospitio satis bene agnitus esset, ab eadem, quo pergeret, requisitus est. Ille vero alacri fide respondit: „Vado mori in Noirthorn“. Cum ergo per quindenam in monasterio devote conversatus fuisset, sicut desideraverat et praedixerat, animam suam pro fratribus ponendo feliciter quievit in Domino.

Quem caritas adduxit, deduxit ac eduxit, et sicut ovis mansueta ducitur ad victimam, sic ille propter Deum pro fratribus ad mortem devenit, ut nullum quidem de illa sua morte inopinata

¹⁾ *Thomas von Kempen erzählt über denselben Vorgang in seinem „Chronicon canonicorum regularium Montis s. Agnetis“ c. 11 Antverpiae 1621, S. 32 ff. auf Grund eigener Kenntnis Folgendes: Anno Domini MCCCCI. in festo sanctorum martyrum Joannis et Pauli (26. Juni, vgl. auch das Nekr.) obiit in monasterio ordinis nostri, quod dicitur in Nemore beatae Mariae virginis prope Northorn, frater Wolfardus Matthiae de Medenblic, oppido Hollandiae, unus de quatuor primis fratribus domus nostrae. Hic statura magnus incessuque maturus, eloquio facundus, canitie decorus iuvenum sectatus est labores et humilia faciebat opera lavando scutellas, terram fodiendo, lapides portando ac ligna colligendo. Erat festinus ad chorum, alacer ad vigilandum, fortis ad ieiunandum, in cebrando (celebrando?) sedulus, in orando devotus. Interrogatus aliquando a quodam religioso, quid in adventu Domini comedisset et an etiam ova quandoque habuisset, respondit: „Benedictus Deus, per totum adventum raro vel pisces habui, sed pulmentariis nostris bene contentus ieiunavi.“ Cum ergo Deo disponente vitae eius terminus advenisset, atque boni actus sui melioribus decorari debuissent, ad saluberrimum finem tali occasione et ordine pervenit. Fuit eo tempore anni notabilis pestilentia in monasterio nostro Nemoris beatae virginis. Defuncto itaque priore cum multis fratribus unus tantum sacerdos frater Joannes Gronynghen, debilis et infirmus, cum unico novitio fratre Horneſto [!] remansit desolatus. Horum obitum et afflictionem desolatorum fratrum audiens frater noster Wolfardus compassus est domui illi vehementer. Quodam igitur die praecinctus ad laborem dicit mihi astanti condolendo: „O qui cum illis bonis fratribus de Northorn partem meruisset habere et exitum talem!“ Plures enim ex illis noverat sciens ipsum locum et diligens sanctam eorum societatem. Cumque multa bona de eis loqueretur, mox portam monasterii nostri frater Arnoldus conversus de Northorn ingressus est*

poenitudinis verbum aut signum posset adverti. Non enim, quod in hunc locum venerit, vel quod mortem improvisam incurrerit, vel quod peregre moreretur, conquestus est. Vide ergo, quid in ipso mirabilius praedices, caritatem, patientiam, mortificationem. Iste ergo in illa strage ultimus fuit et finem pestilentiae dedit, pro sua caritate in gloria nequaquam postremus.

De primitivo fervore magno cap. 19.

Praedicti omnes paucis exceptis discipuli domini Everhardi fuerunt, probati, exercitati, per ignem et aquam ducti. Qui huius monasterii sunt lapides fundamentales facti, porro lapides bene politi, qui omnem vitiorum inaequalitatem mortificarent, quadrati in totius iustitiae rigore constantes, oculati, ut omnia secundum rationis oculum dirigerent et secundum spiritus sancti dona septem super se oculos haberent, insuper igniti illo plane igne, quem Dominus Jesus misit in terram et voluit vehementer accendi, qui et in thuribus cordium ipsorum sacrificium Deo gratissimum devotione praecipua praesentavit.

Isti sunt viri, quos elegit Dominus in caritate non ficta qui *personam hominis non accipit*¹⁾. Et qui de piscatoribus praedicato-

ad postulandum aliquem de sacerdotibus nostris. Quem videns frater Wolfardus ad se venientem laetus eidem occurrit et amplexus est adventantem. Audiens autem causas itineris eius paratum se fatetur cum eo transire, si placuerit priori et oboedientia ita iusserit. Exhilaratur Arnoldus agnita eius promptitudine et ait: „O quam bene in hoc ageritis, carissime.“ Fit conventus fratrum et tractatur, quis sit emittendus ad succurrendum fratribus in necessitate constitutis. Tunc visum est de fratre Wolfardo moribus et aetate provento susceptique iussum caritate suadente. Et altera die luce surgente cum fratre Arnolde ad Northorn perrexit positurus animam suam pro fratribus, ut in aeternum eam salvaret Christo ducente, valefactisque fratribus oculis lacrymosis montem reliquit sanctae Agnetis de cetero illic non reversurus, nesciens, quam cito esset ad montem celsiorem transferendus. Vicit naturam locum et fratres relinquendo, caritatis implevit iura, Christum in morte sua imitando. Intrans igitur monasterium Nemoris virginis Mariae, matris Christi, intra paucos dies illic finem fecit vivendi sepultus apud fratres monasterii supradicti. Retulit mihi frater noster Egbertus, quod olim magister Gerardus Magnus Wolfardo nostro oretenus dixisset: „Wolfarde, duas conversiones habebitis.“ Nam tempore magistri Gerardi († 1384) coepit esse bonae voluntatis, sed postea ad saeculum est devolutus. Tandem post multos annos de gratia Dei iterato compunctus relicta cura pastoralis mutavit vitam saeculi et assumpsit cum primis fratribus religionis habitum diemque clausit extremum agone felici. — *Als einer der vier ersten, 1398 eingekleideten Brüder des Agnetenberges wird Wolfard Matthiä auch bei Busch S. 348 erwähnt.*

¹⁾ Gal. 2, 6.

res fecit, ipse huius sancti monasterii primitivos duces et rectores ex contemptibilibus personis assumpsit, scilicet primum priorem, suppriorem, procuratorem et alios fratres, qui non rhetoricam et alia saecularia didicerant, sed pecora paverant et scutellas laverant. Hic Dominus facto ostendit, quod in scripturis iusserat, ut personas, maxime autem rectorem non penes aetatem, sed penes probitatem, non penes ordines, sed penes mores, non penes statum, sed penes meritum eligere ac deligere debeamus. Unde scriptum est: „*Senectus enim venerabilis est non diuturna neque numero annorum computata, cani autem sunt sensus hominum et aetas senectutis vita immaculata*“¹⁾. Sic saepius, quos humanum spernit iudicium, hos divina electio exaltat.

Ab his ergo prima religionis fundamenta firmata sunt, videlicet in personis, in rebus, in moribus, in paupertate, in labore et patientia, in sensuum custodia et disciplina, in fervore et devotione in tantum, ut in hac domo prae multis aliis locis tam in fratribus canonicis quam familiaribus laicis multiplex devotionis consuetudo eluceret.

Ab initio sane ad omnes caritas fuit communis, videlicet ad fratres, ad clericos et ad laicos, nisi certe quod ille ab omnibus plus diligebatur, in quo maiora virtutum insignia emerent. Nec monachum cappa gloriosum nec laicum teristrum fecit despectum. Nulla de pretiosis vestibus aut cibis delicatis ambitio et contentio fuit nec prorsus de vestium aut ciborum tenuitate querela, quippe qui vix haberent panem exiguum et tysanam vel tenuem potum. Proinde ex communi caritate unum cellarium, una coquina, una infirmaria pro omnibus et singulis, in quibus tanta sollicitudine providetur minimis ac novissimis quanta maioribus et supremis. Et sicut superiores prae aliis in spiritualibus semper fuerunt solliciti, scilicet in confessionum receptione, morum institutione, capituli circa quindenam observatione et excessuum correctione, ita inferiores studebant esse subiecti in oboedientia, in simplicitate et emendatione usque adeo, ut antiquorum patrum studia in paupertate, simplicitate, oboedientia et patientia et aliis imitari viderentur.

Tanta denique disciplina nitebant, ut tam fratrum quam laicorum conversatio extraneis et hospitibus admirabilis videretur et exemplaris. Et quia non ex timore, sed ex caritate Domino

¹⁾ Sap. 4, 8.

Quellen von Frenswegen

serviebant, opera laboriosa et rusticana non oderunt, sed spiritu ferventes manibus laborabant, cordibus insimul orantes ore et voce lectitabant.

Tanta denique illis fidelitas inerat, ut domus negotia, opera et bona diligentissime promoverent, ut, si possibile fuisset, obulum perduxissent ad florenum. Communem insuper utilitatem propriis commodis praeponerent, non quid, sed propter quem facerent, attendentes, Christum pro Christo relinquere, Martham pro Maria colere, pellem pro pelle, animam pro fratribus ponere promptissimi.

In personis ad cohabitationem admittendis nulla fuit exceptio, non ad divitias respectus fuit, non ad generis dignitatem, maxime cum tales detrimentum religioni saepe inferant.

Haec ergo et his similia sunt, quae de huius monasterii habitatoribus beata Maria virgo pro debitis et pro reverentia exigit, quando a Deo tutelam et refugium, a se quoque patrocinium ac solatium repromittit, scilicet simplicitas, paupertas, disciplina morum, oboedentia, caritas, humilitas, castitas, devotio, labor manuum sine personarum acceptione, zelus animarum. Et quia in his primitivi isti abundabant, idcirco capiti aureo in columna Nabuchodonosor non immerito comparantur, in quibus illis vix similes reperientur. Nempe *generatio praeterit et generatio advenit*¹⁾. Et quemadmodum videmus et ipso facto experimur, quod omnis religio ab origine mundi per generationes et generationes ad laxiora proclivis est, timendum est, ne tandem pedibus luteis statuae comparetur et in favillam redigatur.

Prima denique generatio pro veris virtutibus laborat acquirendis, secunda autem pro aedificiis sumptuosis erigendis ac divitiis cumulandis insistit, postremo tertia pro commodis ac voluptate corporum, sensuumque curiositatibus invigilat explendis. Et completur, quod Dominus per prophetam loquitur dicens: „*Quomodo obscuratum est aurum, [mutatus est]^{a)} color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?*“²⁾ Refrigescit enim in eis caritas, labor torpescit, lectio sordescit, oratio piget, solitudo horret.

a) *Diese Worte fehlen in der Handschrift.*

¹⁾ *Eccles. 1, 4.*

²⁾ *Thren. 4, 1.*

**De primo fervore imitando et non tendendo
ad laxiora
cap. 20.**

Quapropter singulis et omnibus summopere cavendum est nec non invigilandum et satagendum, ne per eos et in eis disciplina pereat religiove labefactetur. Nihil enim posteris loci sanctitas aut patrum probitas proderit, nisi mores imitentur. Hinc Dominus Johannes octavo dicit: „*Si filii Abrahae estis, Abrahae opera facite*“¹⁾ et distinctione tricesima nona: „*Non loca vel ordines creatori nostro nos primos faciunt, sed nos aut merita nostra bona coniungunt aut mala disiungunt*“²⁾ et iterum ibidem³⁾: „*Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca eorum, sed qui exercent opera eorum*“.

Oportet itaque primum patrum facta relegere, attendere et ruminare, deinde moribus eorum conformari. Quod utique nequaquam fiet, nisi quis vespere, mane et meridie seipsum clare discutiat, corrigat et emendet. Et plane nihil melius proficere volenti quam omni hora hoc facere et propositum renovare. Deinde circa omnes invigilandum non eos curiose observando, sed in manifestis excessibus eos corripiendo ac adiuvando. Hoc enim beatus Bernardus non modo ad praelatos, sed et ad singulos pertinere dicit, cum ait⁴⁾: „*Nemo, fratres, dicat: Numquid custos fratris mei sum ego? Nemo, quod in se est, aequanimiter ferat, cum viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire silere, cum arguere possis.*“ Et scimus, quia similis poena facientes maneat et consentientes.

Proinde praelatis maxime sollicitandum est, qui non solum manifesta corrigere, sed et occulta scrutari tenentur. Nam, ut dicit regula iuris, *non est excusatio pastoris, si lupus oves comedit et pastor nescit*⁵⁾. Et illis principaliter in canticis Christus dicit: „*Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas*“⁶⁾. Vitia vulpes sunt, quia dolose repunt, parvulae sunt, quia a minimis defectibus incipiunt, donec per incrementa religionis frugem demoliantur, quia sicut secundum Bernardum et Bedam *nemo re-*

1) Joh. 8, 39.

2) Decret. I, dist. XL c. 4.

3) c. 2.

4) Ich habe das Zitat nicht auffinden können.

5) c. 10 X. V, 41.

6) Cant. 2, 15.

pente fit summus, sic secundum Origenem nemo repente fit pessimus, sed paulatim vel proficit vel deficit. Unde Job quarto decimo: „Lapides excavant aquae et alluvione paulatim terra consumitur“¹⁾. Qui ergo spernit modica, paulatim decedit. Nisi igitur resecentur parva, indubie maiora sequuntur, sicut est videre, qui silentium primo per pauca verba violant, tandem audacter multiplicant et infringunt. Et rancorem pro parvo tempore admittentes non solum ultra solis occasum, sed ultra menses vel annos protrahunt et invidiam nutriunt. Et quod detestabilissimum est, pro parva et iniusta causa, quae vix sciri potest, hoc faciunt, quod pro nulla re facere licitum esset. Sic ex iactantia vel ambitione gravissima superbia procedit. Sic ex cupiditate avaritia, tandem iniustitia, fraus et simonia.

Sed, ut dicitur in summa virtutum, *paupertas mater et nutrix et custos religionis est*. Unde qui ingrediuntur religionem, ad eam voto se astringunt. E contrario abundantia religionem destruit. Adeo enim occupat eam, ut meditationes, orationes, lectiones, quibus debet sustentari, in ea pereant. Ita, quod servitium ecclesiae est inordinatus strepitus. Amos quinto: *Aufer a me tumultum carminum tuorum et cantica lyrae tuae non audiam*²⁾. Ubi paupertas non est, vitia ipsa sunt in pace. Non enim fiunt correptiones, sed supportationes, ut potius videantur trapezetae quam religiosi, Virgae sunt ibi potius ad ostensionem quam ad vitiorum effugationem. Hoc, proh dolor! est videre in multis, ubi quantum substantia crescit, tantum oportet eos plus pro ea sollicitari et a divinis subtrahi, quam antea oportuerat, cum tamen secundum Gregorium, quando *augentur dona, rationes etiam crescunt donorum et tanto debet esse quisque promptior ad serviendum ex munere, quanto se obligatiorem conspicit in reddenda ratione*³⁾. Et in summa vitiorum dicitur, quod tria sunt, quae solent destruere religionem. Primum reprehensibilis nimietas praeceptorum, cum tamen in prima religione paradisi non potuerant servari duo. Secundum singularitas. Hoc patet in Lucifero, qui sedere voluit et esse similis Altissimo, cum alii subiecti ministrarent Deo. Tertium amor temporalium. Sicut ergo claustrales cavent ab aliis occasionibus peccandi sicut a multiloquio et aliis, sic cavere debent ab his tribus.

¹⁾ Job 14, 19.

²⁾ Amos 5, 23.

³⁾ Homil. in ev. I, 9, 1.

Sed et cetera vitia a parvis saepissime incipiunt, sed in magna mala succrescunt, sicut de praesumptione inoboedientia, ex cupiditate proprietas, ex iactantia, ambitione superbia gravissima. Sed vitii radicem quantocius evellas, et mox rami exarescent.

**De multis malis eorum, qui in religione dissolute
vivunt et disciplinam male observant
cap. 21.**

Idcirco pessime agunt, qui minima negligentes malas consuetudines in religionis detrimentum inducunt. Vere miserabilis homo, qui habitu tantum et non actu religiosus, negligenter et dissolute vivit, ubi alii Deo devotissime ac promptissime deserviunt. Vere tales Dominus terribiliter increpat Johannis octavo dicens: „*Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere*“¹⁾, et Jeremiae undecimo Dominus conqueritur: „*Quid est, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa?*“²⁾. Vere multa, quia per tales ordo sublimis violatur, locus sanctus contaminatur, tempus poenitentiae scelerate expenditur, inter bonos male conversatur sicut Judas inter apostolos. Beneficiis divinis abutuntur, votum emissum frangunt, dum se Deo auferunt et diabolo serviunt, actus divinos indigne agunt, benefactores defraudant, locum aptiorum et digniorum, qui inibi fructificare possent, occupant, poenas et iram Dei multiplicem thesaurizant et omnia religionis bona perdunt. Terribilia et horribilia sunt haec homini rationem habenti. Insuper et Dei protectionem et Mariae patrocinia et solatia ab aliis, quantum in ipsis est, avertunt. Sic propter peccatum Achan universus Israel fatigatus et contristatus est et perierunt propter ipsum multi.

Quapropter tales crebro corripiendi sunt et raro eis approximandum nec illis corridendum, sed magis deserendi sunt et, quantum fieri potest, ab illis elongandum tum propter eos, si forte videntes deformitatem et inaequalitatem suam confundantur et respiscant, etiam ne in suis conceptibus fortificentur, dum se aequae amabiles et honorabiles existimant, tum propter alios, ne sibi maculam aliquam de eorum conversatione contrahant, quia

¹⁾ Joh. 8, 44.

²⁾ Jer. 11, 15.

difficulter fieri potest, quin actu vel habitu eos in aliquo imitentur, qui enim tangit picem, inquinabitur ab ea, et cum sancto sanctus eris etc., etiam ne eos divina vindicta pariter involvat. Sic enim spiritus sanctus per prophetam Malachiam secundo capitulo comminatur: „*Disperdet Dominus virum, qui fecit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculo Jacob*“¹⁾, magistrum scilicet, qui malas consuetudines inducit, discipulum, qui imitatur, et secundi Paralipomenon decimo nono: „*Impio praebeas auxilium et his, qui oderunt Dominum, amicitia coniungeris. Idcirco iram quidem Domini merebaris*“²⁾, et Danielis quarto et Lucae tertio decimo: „*Succide arborem, ut quid etiam terram occupet?*“³⁾ Et sicut in vita sanctorum patrum dicitur⁴⁾: „*Si quis manserit in loco aliquo et non fecerit fructum loci illius, locus ille expellet eum, utpote qui non fecit opus loci*“, et sicut mare corpora mortua eicit, sic personis perversis gravatur religio.

Sed haec a Nemore beatae Mariae virginis Deus propitius avertat semper, in quo adhuc usque ad centesimum foundationis annum copiosa Deo dante fructum fertilitas exuberavit et usque in finem fructus non deficient. De his infra tangetur. Iam nunc de benefactoribus et fundatoribus in temporalibus aliqua subnectantur.

De comite Bernardo, de beneficiis illius et morte cap. 22.

Praecipuus et principalis monasterii benefactor et fundator inclytus comes de Benthem, dominus Bernardus, ut dictum est, fuit. Hic non solum locum ad monasterium construendum dedit, sed et alia plurima insuper, ut dicitur, supererogavit.

Qui ut supra tactum est⁵⁾, licet in quibusvis ceremoniis fuit devotissimus, primum tamen ante monasterii foundationem multum saecularis, bellicosus et victoriosus fuit. Sed postmodum est feliciter immutatus. Nam prius inimicitias sustinuit et exercuit et, sicut scriptum est, „*manus eius contra omnes et manus omnium contra ipsum*“⁶⁾. Fuit enim terribilis, saevus et rapax ut

¹⁾ *Malach. 2, 12.*

²⁾ *Paral. 19, 2.*

³⁾ *Dan. 4, 11. 20. Luc. 13, 7.*

⁴⁾ *Vitae patrum L. V, libell. 10, 79.*

⁵⁾ *S. 12 f.*

⁶⁾ *Gen. 16, 12.*

leo, unde et territorium ipsius tamquam lacus leonum et spelunca latronum reputabatur. Et propterea proverbium exiit, quod circa Benthem Pater noster terminaret¹⁾. Idcirco etiam Wyn-desemense capitulum acceptare ipsum monasterium non parum formidabat. Sed pius Dominus, qui benedixit Laban ad ingressum Jacob et Aegyptios propter Joseph et Israel, post huius monasterii inchoationem cor viri immutavit, ut non iam leo rapax, sed agnus mansuetus videretur ac totus immutatus et terram illius mirabili quadam tranquillitate pacatam tamquam paradisum voluptatis serenam reddidit.

Semper itaque beneficia monasterio, sicut promiserat, auxit et cumulavit. Nam post primam, ut praefertur, donationem²⁾ unam dimidiam warandiam in Vrendeswede, quae olim ad praedium dictum Kokemole attinuerat, dedit³⁾. Dein post duos annos [sabbato]^{a)} post inventionem sanctae crucis casas duas Baerle et Haghebusch in Bymolte sitas cum suis attinentiis monasterio plenarie assignavit⁴⁾. Sed et praedia duo, scilicet Hinrinckinck et Albertinck cum casa dicta Horst in latere monasterii aquilonari sita, quae a monasterio iam incoluntur, ab ipso provenerunt⁵⁾. Dedit etiam libere locum pro molendino et libertatem plenam molendi pro monasterio et subditis et omnimodam potestatem utendi aqua ad monasterii utilitatem⁶⁾. Dedit et libertavit facultatem perpetue pascendi pecora, quaecumque placuerit, in Oesterwolde⁷⁾ absque cuiuscumque contradictione et in Vrendeswede etiam transitum caprarum⁸⁾. Sed et alia multa privilegia et libertates, scilicet omnia bona monasterii habita et in posterum habenda, mobilia et immobilia ab omni servitio, impetitione, exactione quarumcumque pecuniarum, mactatione pecorum dictis scatinge et koelach ac aliis quibuscumque pius princeps sponte et libere

a) *Fehlt in der Handschrift.*

¹⁾ Ähnlich Rolevinck, *De laudibus Westphaliae III, 10*: . . . illa loca . . . , ubi Credo quasi e propinquo finiri dicitur.

²⁾ S. 21.

³⁾ 24. Februar 1395 (*Döhmann Nr. 30 S. 286*).

⁴⁾ 6. Mai 1396 (*ebd. Nr. 33 S. 287*).

⁵⁾ Verkauf der beiden Erben am 24. Februar 1397 (*ebd. Nr. 36 S. 287*).

⁶⁾ 1. Mai 1402 (*Original im Fürstlichen Archiv in Burgsteinfurt*).

⁷⁾ Am 22. Februar 1399 machte er das Kloster „warchtig in allen Enden des Osterwaldes“ (*Döhmann Nr. 49, S. 290*). Am 3. Mai 1404 schenkte er ihm „enen ewighen seggen ganck in den Oesterwolde“ (*Original im Fürstlichen Archiv in Burgsteinfurt, Abdruck bei Jung, Cod. dipl. Nr. 142, S. 294 f.*).

⁸⁾ In der Urkunde vom 17. Januar 1394 (*s. den Anhang*).

donavit¹⁾. Multa etiam bona et praedia iure feudali ei subiecta, nunc vero monasterio incorporata promptissimo animo libertavit. Varia etiam utensilia et clenodia dedit, praecipue ciborium argenteum et deauratum pro venerabilis sacramenti conservatione, duas pulchras imagines beatae Mariae virginis, unam lapideam, alteram ligneam et imaginem beati patris Augustini cum ornamentis multis. Et quamvis donationes suas primo sigillo suo communi et consueto ratificavit, tamen ad firmiorem adstipulationem eas denuo maiori sigillo comunivit. Et quamvis plures gratias monasterio praestiterit, tamen, quantum in ipso fuit, in omnibus insuper necessitatibus ei benignus extitit et fidelis dispensator et immobilis tutor finaliter permansit. Et ut compendio eius caritas insinuetur, saepe plus timuit isti domui mala advenire quam propriae hereditati.

Unde et generosi sanguinis sui titulum nobilis princeps pro ea ponere non refugit, dum appellari lullardus non erubuit. Et alia opprobria exprobrantium suscepit et faciem suam quasi conspuentibus praebuit, quando a principibus et tyrannis submisso vultu verecundus princeps audivit, an insaniret, quod substantiam suam cum tam despicabilibus personis expenderet.

His igitur et aliis supradictis piis operibus nobilis comes devote ac laudabiliter intentus post monasterii foundationem paene viginti et septem annis supervixit. Et iam vir grandaevus factus, qui multas paenitentias transierat, anno gratiae millesimo quadringentesimo vicesimo primo, aetatis vero suae nonagesimo primo peste inguinaria et pustula, ut dicebatur, pius princeps, orphanorum pater, correptus et infectus est. Itaque plenus dierum omniumque bonorum sana mente post peccatorum confessionem ac sacramentorum perceptionem, post dispositionem testamenti et electionem sepulturae anno quo supra feria quinta ante festum apostolorum Simonis et Judae in castro Benthem in pace quievit²⁾. In exequiis autem suis luminaribus et candelis ab ipso in vita procuratis ac praeparatis usus est.

¹⁾ Befreiung von „schattinghe unde van denste, coslach unde noetbede“ schon in der Urkunde vom 17. Januar 1394 (oben S. 21 Anm. 1), dann besondere Verleihung vom 10. November 1395 (Döhmnn Nr. 31, S. 286).

²⁾ 23. Oktober 1421. Das Datum konnte der Chronist sowohl dem Nekrologium wie dem Grabstein in der Kirche entnehmen. Es muß aber nicht ante, sondern post heißen, sodaß sich der 30. Oktober als Todesdatum ergibt. Die Inschrift lautet (Jung S. 265, Anm. und Mithoff, Kunstdenkmäler und Altertümer im Hannoverschen, Band 6, Hannover 1879, S. 46): Anno Domini 1421. feria quinta post festum beatorum Simonis et Judae apostolorum obiit nobilis dominus Bernardus, comes in Benthem. Requiescat in

Igitur exequiis et missarum sollempniis in Benthem primum rite peractis nobilis domicellus Everwynus de Guterswyck, nepos eius et comes futurus, ipsum, ut elegerat ac desideraverat, ad monasterium suum cum sollempni comitiva adduxit. Ubi divinis mysteriis devote expletis ante summum altare honorifice conditus est et ibidem cum nobili domicello Arnoldo de Guterswyck, qui sororis eius filius fuit et pater Everwyni supradicti, requiescit. Iste inclytus Arnoldus, de cuius devotione infra modicum tangetur, iam obierat anno Domini millesimo quadringentesimo [tertio in profesto]^{a)} Gordiani et Epimachi¹⁾, cum Everwynus, filius eius, esset trium annorum.

Corpora vero felicitis memoriae comitis Bernardi et nobilis domicelli Arnoldi et praeclarae dominae Mechtildis de Stenvordia, uxoris domini Everwyni, post ecclesiae lapideae consecrationem²⁾ exhumata ac levata sunt et in chori sanctuarium translata. Et ibidem factis pro singulorum ossibus mansiunculis saxeis cum cantu, collecta, incenso et aqua benedicta diligenter sub suis lapidibus rursus decimo quarto Kalendas Augusti³⁾ recondita sunt. Deinde pridie Idus Augusti alia quatuor corpora, scilicet domini Hinrici Crul, domini Hinrici Hunt, decani Oldenzaensis⁴⁾, Nicolai de Beveren, qui fratribus pro vino in quatuor festis quadraginta marcas dederat⁵⁾, et uxoris eius Juttae de antiqua ecclesia ad novam translata sunt et inibi sub suis lapidibus reposita.

Est ergo pius princeps comes Bernardus cum suis ante summum altare positus, ut ingredientes et egredientes fratres in omnibus iugiter eius caritatem, beneficentiam, fidelitatem et assistentiam cordialiter recolant eique vicissim pietatis obsequia caritative, fideliter et devote rependant.

a) *Diese Worte fehlen in der Handschrift.*

pace. Amen. — *Das in der landläufigen Literatur (Raet v. Bögelkamp, Möller usw.) angegebene Todesdatum 2. November beruht auf der falschen Uebersetzung „am fünften Tage nach Simon und Juda“.*

¹⁾ 9. Mai. *Die Grabschrift lautet (ebd.):* Anno Domini 1403, in profesto Gordiani et Epimachi martyrum obiit nobilis domicellus Arnoldus de Guterswich, heres domini Bernardi, comitis de Benthem. fundatoris huius monasterii, cuius anima requiescat in pace. Amen.

²⁾ 1445. Vgl. Kap. 57.

³⁾ 19. Juli.

⁴⁾ *Heinrich Hondt war von 1409 bis 1416 Dechant von St. Plechelmus in Oldenzaal und starb am 5. Dezember 1416 (Archief voor de Geschiedenis van het Aartbisdom Utrecht D. 3 (1876) S. 288—290, D. 15 (1887) S. 367).*

⁵⁾ *Urkundlich nicht mehr nachzuweisen.*

De nobili comite Arnolde de Guterswyck cap. 23.

Quantum vero ad istum conventum inclytus domicellus Arnoldus de Guterswyck affectum habuerit, hinc liquidissime patet, quoniam cum a principio foundationis monasterii locus adhuc incultus et spinarum vepriumque esset densitate repletus et aedificiorum inops, ipse tamen fratres frequenter invisere solitus fuit et in tantum dilexit, ut diceret: „Utinam filius meus Everwynus ita annosus esset, ut istam patriam suam per se regere posset, ego hic vobis cohabitare et pulmenta vobiscum comedere vellem“.

Sed Dominus non omnino sprexit precem eius, sed desiderium exaudivit. „*Haec requies mea*“ dicere potest „*in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*“¹⁾. Nam cum ipsum post varia huius mundi infortunia de hoc saeculo eximere Dominus decerneret, infirmitate tactus est. Pro qua curanda in domum domini Hinrici Crul, pastoris Scuttorpensium receptus est, siquidem et ipse practicus fuit et ideo curam illius gessit. Sed cum languor indies cresceret et mors appropinquaret, qualem peccatorum contritionem habuerit, quantum desiderium eius cum fratribus fore accreverit, haec illius verba protestantur: „Si“, inquit, „me ad monasterium Mariae et ad illos fratres deferre non vultis, saltem, cum mortuus fuero, corpus meum ad manipulum tectorum ligate et in Vechtam proicite, ut vel per defluentem aquam illo deducar“. Timuit enim ab amicis suis in loco antiquorum comitum in Benthem sepeliri. Vide affectum eius ad istum locum.

Quo defuncto ad monasterium, sicut petierat, funus honorifice delatum est. Feretro vero pannus pretiosus de serico et deargentatus superpositus erat, quem ei pro xenio ducissa Brabantiae aliquando contulerat, et hic pro testamento fratribus datus est. De quo tandem pretiosa casula facta est, cuius in magnis festivitibus esse usus solet²⁾.

Ipse etiam pius princeps universa, quae avunculus ipsius, comes Bernardus, monasterio prius contulit, ratificavit, consensit, confirmavit. Ipse primus de externis in illa vasta solitudine cum fratribus sepeliri devote elegit. Post ipsum tandem de diversis locis plurimi subsecuti sunt praelati, curati, canonici, decani, pres-

¹⁾ Psalm. 131, 14.

²⁾ Dies Geschenk ist wahrscheinlich in dem kostbaren Meßgewand der Kirche in Neuenhaus erhalten (Jostes S. 36 f.).

byteri, capellani, castellani aliique utriusque sexus homines ibidem pausare et resurgere cupientes in adventu Domini. Amen.

De gratioso comite Everwyno in Benthem cap. 24.

Generosus proinde Everwynus bonae indolis puer et ipse a progenitorum suorum favore nequaquam degenerans non in corde duplici monasterio semper affectus fuit. Nam et munificum et fidelem et sine omni gravamine, postquam adolevisset, se exhibuit.

Cum enim illius tempore ecclesia lapidea fundari coepisset, ipse in monte lapidicinam et lapides frangendi et praeparandi potestatem ac libertatem gratis concessit ac dedit et de gleba et impensis pro lateribus non segnis fautor fuit. Eius ergo munificentia structura ecclesiae maiori prosperitate ac celeritate consurrexit.

Insuper cum nobilis princeps attenderet, quod pater Walramus¹⁾, sicut fuit vitae probitate eximius, sic et verecundiae lenitate esset conspicuus, comes dixit Walramo: „Pater, vos in choro et monasterio prior sitis, ego foris prior esse volo“ fidelitatem insinuans ac promittens. Et hoc plane opere prorsus efficaciter implevit. Nam res et causas monasterii tamquam proprias fidelissime defendit, e quibus hoc unum memorabile est, quod, cum Matthaeus de Gravestorp²⁾ molestus et iniuriosus monasterio esset, comes saevientem compescuit eidem dicens, quod monasterii causam tamquam propugnator contra eum defenderet, sicut et defendit.

Et sicut alios monasterium damnificare non permisit, ita et seipsum absque omni gravamine servavit. Nam cum generosa eius coniunx aliquando in quadragesima cum sororibus apud monasterium devotionis causa aliquantulum degere desideraret ac decerneret, nobilis princeps non permisit dicens: „Non eris onerosa illis bonis servis Dei.“ Sed et ipse raro ad monasterium accessit et si quando necessaria exigente causa eo diverteret, nequaquam familiam suam cum equis adduxit, sed in Noirthorn oppido esse iussit, ipse tribus vel quatuor servis contentus comedens

¹⁾ 1436—1439.

²⁾ *Der Sohn des in den Urkunden des Stifts oft vorkommenden Ludolf von Gravestorp, der reiche Schenkungen gemacht hatte.*

et bibens, quae apud servos Dei communiter inveniebat praeparata, puta quibus de adventu suo mandare non volebat. Causa vero propter quam venerat, determinata mox ad suos revertebatur nullatenus in monasterio pernoctare acquiescens. Et qui tunc in monasterio noctes peragere noluit, ne fratribus in aliquo molestus esset, iam nunc tamen inibi pausat securius, puta cuius ossa in sanctuario sub insigni lapide recondita sunt¹⁾).

**De domno Hinrico Crul, curato ecclesiae
Scuttropensis
cap. 25.**

Domnus Henricus Crul, Scuttropensis ecclesiae curatus, quemadmodum supra dictum est, et quasi quidam legatus a Deo missus salubris occasio et primus actor foundationis monasterii fuit. Iste non solum comitem Bernardum instruxit et instigavit, sed et alios nonnullos, videlicet Johannem Beveren, Bernardum Pastoerken castellanos cum uxoribus, Johannem quoque Monick, consulem Scuttropensem, et ad Deum convertere et ad monasterii favorem, gratiam ac tutelam inclinare serius studuit ac satagit. De quibus monasterium non modo temporalia, sed et magnam contra impugnatores assistentiam et auctoritatem, nimirum tam venerabilium virorum auxilio fultum, accipere meruit. In cunctis insuper necessitatibus, periculis et causis ipsemet fratribus semper fidelissimus perseveravit. Et si aliquando, ut fieri assolet, aut diabolica immissione aut humana infirmitate a fratribus aversus fieret, statim tamen in se rediens ac poenitens ad fratrum gratiam se convertit.

Amoris tamen eius integritas in hoc potissimum apparuit, quod pestis tempore fratribus maxime compassus fuit. Nam in propria persona veniens infirmos humiliter visitavit et eorum apostemata oculis vidit, manibus tractavit, unguento unxit et eorum mortiferum halitum nec declinavit nec exhorruit. In quo

¹⁾ *Die Grabschrift lautet (Jung und Mithoff a. a. O.): Anno Domini 1454. quarto nonas Marcii (4. März) obiit nobilis domicellus Everwinus, comes de Benthem, cuius anima requiescat in pace. Amen. Vgl. auch unten das Nekrol.*

utique patuit, quod pro fratribus animam ponere paratus fuit, caritate utique, quam nemo habet maiorem¹⁾.

Postremo vero, cum usque ad tricesimum foundationis monasterii²⁾ annum in saeculo fratribus utiliter deservisset, ecclesiam resignavit relictoque saeculo seipsum totum et omnia sua Deo obtulit et monasterio delegavit, ubi in sequestrata domo vivens sacrae scripturae, lectionibus et devotis orationibus sese continuo refecit atque per quotidianam sacrae hostiae immolationem tempus amissum et perditam gratiam redimere et sanctam ecclesiam adjuvare circa septennium diligentissime curavit, donec spiritus rediret ad Dominum, qui dedit illum³⁾.

De Johanne de Beveren cap. 26.

Memoria Johannis de Beveren⁴⁾ in compositione odoris facta est opus pigmentarii quasi oliva pullulans et quasi cypressus in altitudinem se extollens. Iste et uxor eius Gertrudis cum inclyto comite Bernardo principales benefactores et fundatores monasterii dignoscuntur. Nam cum in principio propter nimiam paupertatem, ut dictum est, de domus profectu fratres fluctuare cogentur, isti de sua abundantia satis largis stipendiis eos sustentaverunt. Et quia vita laude digna consummati sunt, eorum conversationem ex parte recolere oportunum videtur.

Fuit itaque iste Johannes de numero curialium in Benthem castellanus, cuius pater Fredericus de Beveren dictus est. Cum igitur inclytus genere et fortuna locuples esset⁵⁾, sibi competentem accepit uxorem Sophiam, Bernardi de Asbecke, qui et Pastoerken dicebatur, sororem, et Bernardus vicissim eiusdem Johannis ger-

¹⁾ Vgl. Joh. 15, 13.

²⁾ Also 1424.

³⁾ Das Nekrologium gibt 1423 (13. August) als Todesjahr an. Das ist offenbar in 1432 zu ändern.

⁴⁾ Das folgende Charakterbild hat bereits Jostes S. 32—37 nachgezeichnet. Ergänzendes Material, das hier zur Vergleichung heranzuziehen ist, liefert jetzt die oben S. 14 Anm. 2 genannte Chronik von Diepenveen. Schon früher wäre auch zu benutzen gewesen das „Scriptum Rudolphi Dier“. Dier war Zeitgenosse.

⁵⁾ Dier, S. 17: In Westphalia erat quidam domicellus nomine Johannes de Beveren habens fere centum homines sub se servilis conditionis.

manam Margaretham duxit, ita ut alter alterius sororem uno pariter convivio ac celebritate matrimonialiter sibi desponsarent.

Post paucos annos Johannis uxor Sophia defuncta est. Post quam aliam duxit, Gertrudem, filiam Gerardi de Beverforde¹⁾, cuius mater filia Florentii Voet extitit. Haec autem Gertrudis in Dei timore ac servitio bene adoleverat²⁾. Sed vir eius Johannes, sicut divitiis abundabat, sic mundo imprimis ex mente vanissime serviebat³⁾. In vita namque vagus, animo tumidus et elatus, habitu notabilis et spectabilis fuit. Erat quippe habitus eius intercisus et bicoloratus, videlicet ex albo et viridi, ita ut unus de calciis albus, alius viridis fuit. Et hunc modum in caligis, vestimentis, equorum ornamentis similiter servavit⁴⁾. Quibus assuetus his, qui in saeculo vanitatibus ac deliciis vixerunt, se coniunxit.

Corde ergo vanus fuit, corpore varietate circumamictus, rubricatis calciamentis indutus. Colla et latera cingulis operosis ornavit, cantica vanitatis in libris collegit, ludo aleae tempus consumpsit. In armis subinde strenuus, in choreis dissolutus, ostentativus ad theatra, ad vana spectacula procax. Et quid dicam? Lusit cum avibus coeli, cum bestiolis terrae saltavit, adeo ut in mundi vanitate superiorem vel aequalem aequanimiter pateretur nemi-

¹⁾ *Chronik S. 173*: Dese eerweerdige suster Truyde was eens seer eersamen mans enyge dochter, die seer rijke was ende was genoemt Gerijt van Beverde, dat een statlik man was nader werlt ende van gueder ridderschap ende was ut den stichte van Utricht.

²⁾ *Ebenda*: Jonfer Truyde was ene eersame, doegentlike ionfer ende was seer gemynnet van den menschen om hoer oetmodiger gesellicheit willen. Ende sie plach den geesteliken luyden sunderlinge guedertieren ende gunstich te wesen.

³⁾ *Ebenda*: Ende als sie tot yaren gekomen was, soe wart sie an horen olders in echtschap gegeven enen eersamen man, geheiten Johan van Beveren, dat een groet staetlik man was nader werlt ende seer rijke ende van gueder ridderschap, een seer abel heerlick man van staturen ende vol werldes. Hij was ut den stichte van Munster ende hij nam myt hoer groet guet.

⁴⁾ *Ob daraus wirklich folgt, daß diese ritterliche Modetracht in Westfalen schon zu Ende des 14. Jahrhunderts üblich war, wie J o s t e s meint, oder ob, was ich eher glaube, der Chronist den Ritter bloß schildert, wie er ihn sich vorstellt, läßt sich natürlich nicht entscheiden.* — *Chronik S. 174*: Als sie daer een wijltijds gewont hadde (bei einer Junkerfamilie auf einem Schlosse, während Johann „reet by enen groten heren“), soe voeren sie te samen toe Schuttorpe. (*Unsere Chronik läßt sie erst nach der Sinnesänderung nach Schüttorf ziehen.*) Daer wonden sie seer staetelic ende in groter erbaerheit. Hij was seer utwendich ende genck te male kostelik myt selden, ende vaetynge ende myt anderen gesmyde, ende sie was goddienslich ende plach hoer geerne te beden. *Ebenda S. 175 f.*: Want hij plach hem so utermaten kostelike to vercijren, als hij te hove toch myt kosteliken gesmyde, dat sijn geklank genck baven dat geruchte der spoelluyde.

nem. De hoc insuper doluit, quod uxor eius ex animo similibus actibus dedita non fuit¹⁾).

Sed quamvis haec ageret, tamen in promissis efficax et fidelis fuit ita, ut illius verbis magis quam aliorum litteris sigillatis fides haberetur²⁾). Haec ergo de eo dicta sunt, ut, de quanta vanitate ad quantam religionem profecerit, cognoscatur. Nam vita eius erratica fideli ac pia coniugi semper gravis et molesta fuit. Sed quia scriptum est: „*Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelm*“³⁾, et ipse tandem longanimitate, modestia, instantia pariter et meritis piae uxoris ad conversionis gratiam pervenit.

De Johannis conversione cap. 27.

Cum enim tempus suum vane et saeculariter aliquamdiu vivendo consumpsisset, divina, ut creditur, agente misericordia gravi languore usque ad mortem percussus est. In quo ad se reductus annos vitae suae, quos male transegerat, in amaritudine animae recogitabat. Quo denique felici timore fatigatus salubre consilium ac bonum propositum divinitus concepit, quod videlicet si ei sanitas redderetur, vitam in melius commutare vellet. Et hoc voto et proposito ad Deum emisso corporis sanitas continuo subsequuta est.

Initio itaque sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina cum Johanne Voet, filio Florentii, ac aliis quibusdam visitare aggressus est. Sed reversus cum non statim, quod promiserat, adimpleret, rursus solitis saeculi oblectamentis allici ac irretiri coepit. Attamen Dominus eius mentem ad voti redditionem intus misericorditer excitavit ac mirabiliter commovit. Nam et per terribilem praedicationem Dominus iudicii timorem et cordis contritionem illi iterum incussit et conversionis propositum in eo integre et plene sine retractatione salubriter confirmavit. Et ecce, haec mutatio dextrae excelsi, ut subito mutatus in virum alterum iam

¹⁾ *Ebenda S. 174*: Als hij hoer dan toe sprak ende sie niet gerne vele gespraken en hadde, soe nam hi hoer dat pater noster utter hand ende smetet over dat huys. Mer sie bleef al in hore goddiensticheit.

²⁾ *Ebenda S. 176*: Die hovelinghe myndem hem seer, want hij was mylde van herten ende hij haddet wal.

³⁾ *1. Cor. 7, 14.*

nunc despiceret, quae ante elegerat et ex corde eligeret, quae ante despexerat.

Circa tempus igitur, quo monasterium beatae Mariae coepit, et ipse mundum relinquere ac Deo servire statuit. Sed quia filiorum necessitate pariter et amore adhuc aliquantulum detentus fuit, ne propositum eius vel amicorum assiduitate vel consueta vanitate elanguesceret, de castro Benthem semetipsum prius sequestravit et ad civitatem Scuttorpensem se transtulit, ut ibidem quietius Domino servire inciperet. Et ibidem tanto fervore ac Dei timore accensus est, ut vitam in melius commutaret et de virtute in virtutem transiret et hoc tam evidenter, ut hi, qui paulo ante ipsum noverant, admirantes conclamarent de lupo agnum factum.

Sed et uxor illius Gertrudis prius de eius dissolutione fatigata iam de eius conversione gavisata est et iam uterque non dissimili fervore viam mandatorum Dei currebant. Et ut perfecta esset eius poenitentia, initio laesis satisfecit et iniusta bona in integrum restituit. Et quia in vestibus curiosus et mollis fuerat, tunicam talarem de griseo et grossiori panno cum amplo caputio assumpsit, pro cinctoriis operosis tortum funiculum, pro strictis et rubeis calciamentis iam ampla et rugosa¹⁾, pro cibis lautis fabas ac pulmenta, pro ludis ac cachinnis compunctionem et lacrimas, pro tumultuosa populi frequentia secretum silentium in propria civitate inter amicos, notos et consanguineos in pristinae vanitatis detestationem ac scandali remotionem homo Dei sponte elegit. Quot enim in se prius habuerat oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit namque ad numerum virtutum numerum criminum, ut totum serviret Deo in poenitentia, quod prius offenderat in culpa.

Isti homines omnia oblectamenta, quae ad mundi amorem alligere poterant, habuerunt, quae tamen coelestium amore et comparatione ut stercora arbitrati sunt ac contempserunt. Siquidem pecunias in magna quantitate congestas ad monasteria et congregationes devotorum fratrum ac sororum dioecesis Traiectensis, ubi eo tempore devotio praecipue radiabat, transmittabant. Cistula, quae pecunias servaverat, pro sacramenti repositione ab ipso Johanne disposita et monasterio Nemoris beatae Mariae est trans-

¹⁾ *Dier S. 18*: Johannes pro fune sive catena argentea postea utebatur fune crinea ad carnem suam et per eadem loca, per quae prius cinxit se fune argentea ad decorem, postea cinxit se fune composita de crinibus ad penalitatem carnis suae.

missa. Tabula pro ludo scacorum pro sanctorum reliquiis deputata est. De balteo argenteo calix factus est fuitque secundus calix dicto monasterio apparatus. Simili modo alia vasa argentea et pretiosa piis usibus offerebant. Ipse etiam operibus manuum insistens primum libros conscribere, deinde cochlearia scindere et stramenta pro pileis plectere aggressus est.

De temporalium distributione bonorum cap. 27 [!].

Cum ergo adhuc quasi duobus viscerosis retinaculis solo corpore in saeculo pii coniuges tenerentur, duorum scilicet amore liberorum, etiam ab his eos eruendos ac libertati plenarie restituendos bonus Dominus decrevit. Unde parvulam filiam circa festum Johannis Baptistae, deinde Fredericum unigenitum superstitem et Zwollis scholam frequentantem utrumque de hoc mundo anno Domini millesimo trecentesimo ac nonagesimo septimo rapuit et transtulit. Quorum morte non modice contristati sunt. Sed tamen fide et spe fortes ac constantes per ferventem amorem ac devotionem naturales cordis dolores superaverunt¹⁾.

Tunc ergo quasi ampliori nacta libertate ferventius ad perfectionem ferebantur et omnia terrena sua, mobilia et immobilia, scilicet bona militaria, praedia, fundus, prata, agros, domos, casas, curtes, redditus, decimas, servos et ancillas, aurum et argentum et universam suppellectilem divinis usibus prodiga erogatione consecrabant. Et ut scriptum est utique: „Dis-

¹⁾ *Dagegen die Chronik S. 175:* Sie kregen twee kinderkens te samen, ende dat weren beyde twee soenkens. Dat ene starf seer jonck ende dat ander levede wat langer, dat hoer erfgename solde geweest hebben na hore doede. Mer onse lieve here haddet anders myt hem beyden voersien ende haelde dat ander soenken ok tot hem. Het solde sijn olders lichte gehindert hebben, onsen lieven heren te dienen. Niet lange hij na so ruerde onse lieve here Johan van Beverens herte mytten vuer des hilligen geestes, also dat hij een inslach kreech ende hem neder sloech ende wolde voert an onsen lieven heren dienen ende penytencie doen voer sine sunden. Hij plach des nachtes op te staen ende genck in sinen hof ende plach hem daer soe lange te geyselen, dat hi soe koelt te bedde quam, dat hij niet een lyt en hadde an al sinen lijve, dat hem warm was. Ende hij droech een haren heemt ende hij hadde een dinck om sijn lijf, dat vijf knopen hadde ter eren der hilliger vijf wonden ons lieven heren ende dat was in sijn vleesch gewassen. *Hier wird also die Bekehrung als Folge des Todes der Kinder hingestellt. Von der Pilgerfahrt nach Rom, überhaupt von einer früheren Bekehrung weiß die Chronik nichts.*

*persit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi*¹⁾, et licet diversis multa large tribuerent, tamen monasterio Nemoris beatae Mariae opes suas liberalissime effuderunt. Denique post plurimas eleemosynas a principio monasterio largissime datas in pecuniis, utensilibus, ornamentis, frumento, lardo, brasio et aliis, cum ceteri benefactores manus retraherent, ipsi nunquam donationibus cessabant. Tandem etiam bona immobilia, perpaucis tamen feodibus heredibus reservatis devotissime monasterio tradiderunt, videlicet septem praedia et totidem casas cum suis attinentiis²⁾, sed et annuatim duodecim modios siliginis mensurae Zwollensis ex bonis Rodolphi de Coworde³⁾, insuper et decimam in Ghildehuys⁴⁾ super sex domos ibidem, videlicet ter Hoyghet, Lomenschues, Westerhoff, Eskynck, Elekinck, et de Zeelt. Praedia vero et casae istae sunt: in parochia Noirthorn in burschapio antiqua villa curtis Annynck cum suis attinentiis, in eadem parochia et burschapio Bacle casa dicta Eskinck cum attinentiis, ibidem casa Horstcamp cum attinentiis, in antiqua villa casa Bueskenshues et casa ten Toerne, area cum horto Uden-druls, area cum horto Lubeleys, area Smythannen cum horto et attinentiis, in Vrelstorpe praedium Johannynck cum attinentiis, ibidem Koltier cum attinentiis, in Hesepe curtis Arnyneck cum attinentiis, in parochia Buren in burschapio Drivorde curtis Wolbertynck cum attinentiis, in parochia Ulsen in burschapio Havenichem casa ten Mersche, ibidem casa ter Spicke, in parochia Velthusen circa montem arenosum hortus quidam.

Omnibus itaque distributis ac relictis nihil restare videbatur nisi sequi Christum.

De illius e Babylone egressu cum coniuge sua cap. 28.

Post haec itaque anno Domini millesimo CCC et XCVIII. ipso die sancti Pauli primi eremita⁵⁾ cum Abraham terram suam reliquerunt et cum apostolis Dominum secuti sunt. Applicantes ergo ad civitatem Zwollensem congregationi in Monte sanctae

1) *Psalm. 111, 9.*

2) *10. Januar 1398 (Döhmann Nr. 41 S. 288).*

3) *Urkundlich nicht mehr nachzuweisen.*

4) *Ebenfalls 10. Januar 1398 (ebd. Nr. 43 S. 289).*

5) *10. Januar.*

Agnetis, quam Johannes de Ummen, corporalibus quidem oculis caecus, sed cordis oculis illuminatus miro fervore ac spirituali disciplina, antequam regularibus domus daretur, regebat, se Johannes coniungere coepit et ibidem rusticana exercere opera et de mensa paupertatis insipida pulmenta manducare ac tisanam bibere et grossae dietae assuescere. Sed patres rem altius ponderantes, ne per indiscretionem naturam frangeret et infirmitatem contraheret, ab hoc eum proposito paululum revocarunt, donec discretius de eo ordinarent. Domus ergo extra muros civitatis pro eo conducta est, in qua cum uxore paululum degeret¹⁾. Soror vero Johannis Margaretha, uxor Bernardi de Asbecke, cum haec audisset, iter arripuit et cum priore Johanne Walen²⁾ fratrem visitavit suum. Quem cum sub quadam arbore longo pellicio vestitum stramina pro pileis plectentem repperisset, de notabili viri immutatione stupefacta prae cordis dolore flere et lacrimas ubertim fundere coepit.

Demum pro utriusque coniugis statu ac salute patres solliciti Johannem in Wyndesem, uxorem autem in Diepenvene divinis obsequiis manciparunt. Cum ergo Johannes arduis exercitiis ac dura abstinentia fervorem spiritus sequeretur, caro eius paulatim deficere ac infirmari coepit³⁾. Sed quanto caro in illo infirmior fuit, tanto spiritus potens reddebatur ac fortior. Magis enim spiritus laesionem quam corporis fugit. Propterea de sua valetudine interrogatus respondere consuevit: „Haec misera caro fortis est ac petulans, spiritus autem infirmus“. Dum itaque ex defectu virium quaelibet opera difficilia exercere non valuit, humilioribus ac

¹⁾ *Chronik S. 180*: Ende hij waert alle daghe vuriger ende meer ontsteken onsen lieven heren noch naere to komen ende in een kloester te gaen ende versocht an sijne vrouwen ende dedet ock doer ander luyde an hoer verzoeken, of siet hem gunnen wolde in een kloester te gaen. Doe segede sie, hij moeste wal gaen, waer dat hi wolde. ya in der woestijnen, mer sie wolde mede, want sie hadden uttermaten lief ende en kondes niet wal verlaten. Doe hij sach, datter noch niet van warden en wolde, toech hij myt hoer to Zwolle. Ende als sij daer ene wijle to Windesem wesen solde ende sij was by den susteren in eenre vergaderinge.

²⁾ *Prior im Kloster Bethlehem in Zwolle (Busch an mehreren Stellen)*.

³⁾ *Chronik S. 182*: Johan van Beveren had lange tijt to Windesem geweest, doe waert hij al wat siekelik. Doe quam hij ene korte tijt weder by Truyden. Ende als hij daer een luttel tydes geweest hadde, doe quam die bekare, die een benijder is alles guedes, soe dat sine vuricheit wat verslappet waert ende hadde doe geerne by hoer gebleven. Doe wart die guede vrouwe soe vurich ende en woldes niet gehengen. Als hij dit sach ende merckte die grote vuricheit der oetmodiger vrouwen, so waert hij weder ontsteken. Ende sij gengen te samen sitten op enen waghén, ende doe sie by Windesen quemen, doe sat hij dar of ende bleef daer, ende sie quam ten Diepenveen, ende sie worden beyde twie vurige calompnen.

simplicioribus exercitiis, videlicet lavandis scutellis, saccis et soccis resarciendis se ferventissime dedit¹⁾. Et quidquid in laboribus illi defuit, per pietatem supplevit. Sicut enim per ambitionem et abundantiam excesserat, sic nunc per humilitatem, simplicitatem et paupertatem satisfaciebat. Et tanta caritate et paupertatis amore flagrabat, ut si totius mundi divitias possedisset, omnes incunctanter pro Christo expendisset.

Cum ergo patruus ipsius Nicolaus de Beveren ex obliquo illi obiceret dicens: „Ubi nunc est gloria, quam prius habuisti, ubi divitiae, ubi familia?“, statim paupertatis amator apprehensa sportella ait: „Ecce amicorum meorum patruelis, hic est thesaurus meus desiderabilis, hae divitiae, haec operosa supellex, quae me iam plus delectant quam cuncta terrena prius placuerunt.“ Acus enim, forfex, panniculi, fila et huiusmodi in ipsa sportella servabantur.

De cordis eius puritate a curis mundi cap. 29.

Ad tantam cordis puritatem proinde et mundi contemptum homo Dei ascendit, ut nunquam ad natale solum reverti, nunquam inde, vel de praediis aut possessionibus, amicis vel cognatis plurima loqui vel audire consentiret, sicut et omnes rumores et saecularia negotia aspernabatur²⁾. Unde aliquando contigit, ut pater Theodoricus de Vyanden, prior monasterii Nemoris beatae Mariae³⁾, relationem notabilem et opportunam de bonis per eum monasterio traditis ad ipsum referret, implicationum ac impetitionum ab eo declarationem quaerens, nam per saeculares quosdam urgebantur, sed ille, ut audivit, quia negotium de rerum saecularium perplexitate esset, quasi magnam suae intimae puritati maculam inferri metuens aures avertit et se a priore quantocius separavit.

¹⁾ *Dier S. 18*: Venit in Wyndesem ibique habitavit et obiit solens reperiare antiquas tunicas fratrum. — *Chronik S. 183*: Hij was der brueder schröer ende dat alre onheblükste ende snoedest plach hij te lappen ende te neyen. Hij was so rechte kleyn ende neder in hem selven, dat hij was onder die brueders, hoe men wolde.

²⁾ *Chronik S. 183*: Hij was vurich ende seer stichtich ende als sine vrende of yemant anders, die vrendelik myt hem weren, tot hem quemen, om hem toe spreken, soe plach hij hem te seggen, dat sie hem van genen werliken dingen en solden seggen.

³⁾ 1401—1415.

Cum quadam vice illi nuntiaretur sororem eius Margaretham de Novo Castro adventasse, ut ei loqueretur, cum ille comperisset, quia ipsa quasi pompose curialibus induta ornamentis et saecularibus stipata esset personis, ille nec quidem egredi nec ei loqui ullatenus consensit, donec superioris sui imperio ad spiritualem satisfactionem exire cogeret invitus. Similiter cum patruus eius Nicolaus de Beveren adesse et praesentiam eius desiderare nuntiaretur, respondit: „Ego iam fratres et amicos non agnosco nisi viros spirituales et devotos. Si ergo de spiritualibus rebus et de animae suae salute loqui desiderat, amicus meus est et ad me veniet, sin autem secus, est mihi tamquam extraneus et ignotus“.

Ad tantam mentis prorsus puritatem profecerat, ut spiritualibus affectionibus plenus et divina caritate absorptus omnia, quae mundi sunt, iam nescivisse et perpetuae oblivioni tradidisse videretur secundum illud apostoli: „*Unum autem, quae retro sunt, oblitus, ad anteriora vero extentus sequor ad palmam supernae vocationis*¹⁾. Et propterea maxima delectatio illi fuit spiritualia audire et loqui. Et quos verbo suo vel exemplo tangere potuit, crebro vel ad peccatorum contritionem vel ad coelestium amorem accendit.

Attendant hic omnes religiosi et saeculi contemptores, ne male redeant ad ea, quae reliquerunt. Erubescant sub religioso habitu mentem abscondere saecularem aut spiritualibus ac scripturis relictis ad vana, noxia, saecularia, rumores, oblocutiones et huiusmodi converti. Studeant ire de virtute in virtutem exemplo Johannis de Beveren, qui magnus in sua conversione fuit, maior in conversatione, in consummatione maximus. In fide incepit, in spe profecit, in caritate consummavit. „*Beatus vir, qui post aurum non abiit nec speravit in thesauris pecuniae. Quis est hic et laudabimus eum? Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere malum et non fecit*²⁾“.

Quid enim in humanis rebus hoc miraculo mirabilius homines iuvenes, divites et florentes sic mundum contemnere, aetatem transcendere, honores fugere, contemptum quaerere, in carne praeter carnem vivere, carnis licita spernere, afflictionem eligere, terrena bona abicere, quae totus mundus, etiam cum animarum damnatione possidere cupit, propriam naturam superare, seipsos

¹⁾ Phil. 3, 14.

²⁾ Ecclesiastic. 31, 8 ff.

supergrēdi, in mundo teneri, sed in coelis conversari. Cum ergo scriptura dicit: „*Qui humiliatus fuit, erit in gloria*“¹⁾, iste Johannes gloria potitur sublimi, qui cum esset dives et inclytus, elegit abiectus esse in domo Dei et in Wyndesem cum laicis familiaribus ipse eorum humilem habitum, duros labores, ieiunia, vigiliās, orationes, disciplinas devotissime sectari²⁾.

De Johannis uxore, in Depenvene moniali, cap. 30.

Uxor Johannis Gertrudis praevenita a Domino *in benedictionibus dulcedinis*³⁾ quasi cum lacte matris virtutis affectum imbibat. Nam ab ipsa iuventute sua bonae indolis puella simplicitatem ac humilitatem adamare, devotas orationes crebro fundere, ieiuniis et abstinētiis corpus macerare, eleemosynas facere aliaque pietatis opera exercere, quantum licuit, ferventissime coepit. Unde et virum suum pia longanimitate ac fideli instantia ad Dominum traxit. Et iam amorem coniugalem in spiritualem caritatem commutans libenter et licenter sponsum suum reliquit et Deo commendavit et Christum eligens sponsum claustrī secreta expetens habitum et ordinem sacrarum regularissarum in Diepenvene devote assumpsit ac devotius gessit et servavit⁴⁾.

Et quamvis frequenter humilitatis exercitiis antea diligenter intenderit, tamen extunc quasi omnium ancillam se fecit adeo, ut

¹⁾ Job 22, 9.

²⁾ *Doch erzählt die Chronik S. 183:* Hij was soe weekelik inder naturen, dat hij die strengheyt der oerden niet wal holden en konde in vasten ende in waken als die ander brueders. Daer plach hij hem alte seer in te veroetmodigen tegen wien, dat hem to sprack. Mer dese weeckelicheit hadde hij hem selven seer besaeket mytter ierster hardicheit ende strengheyt, daer hij sijn vleesch mede onder dede. Dit was hem baven maten swaer, dat hij dat hillige geselshap in allen dingen niet volgen en konde na sijnre begeerten ende in der belyenge worden gestichtet geestelik ende werlick. Hij starf volherdende in enen vurigen geeste ende is gevaren tot onsen lieven heren, die hem utverkaren hadde om hem te laven ende te dancken in ewicheit. — *Johann v. Bevern starb am 24. Juli 1408 (Nekr.).*

³⁾ Psalm 20, 4.

⁴⁾ *Nach der Chronik S. 184 gehörte sie zu den ersten Schwestern von Diepenveen:* Sie mochte die vierde wesen. Want drie susteren weren voer hoer gekomen, als suster Griete Daegens ende suster Geese Boevynck, suster Trude van Roekel. Daer na quam suster Truyde van Beveren int yaer ons heren MCCCC ende I. *Ihr Leben in Diepenveen und ihre Tugenden sind in der Chronik sehr ausführlich beschrieben (S. 184—200). Sie starb am 8. September 1428 (ebd. S. 200).*

doleret, si quae eam in humilitate vinceret¹⁾. Cuius humilitatis satis credibile testimonium confessor eiusdem, dominus Johannes Brinckerinck, praestitit, qui dixit se nihil scire, in quo eam possit amplius humiliare. Sed et cum magno fervore et caritate religionis exercitia percurrit, ut horologio opus non haberet, quae spiritualibus actionibus et meditationibus temporis distinctiones novit.

Quantam etiam paupertatem pro saeculi divitiis amaverit, brevium eius ostendit, quod ipsa paupertatis sectatrix pro horis canonicis, cum necesse esset, dicendis, propria manu conscripsit. Quod et adventantibus tamquam verae tenuitatis indicium ad aedificationem saepius ostensum est. Nam de diversis fragmentis pergameni franceni et papiri rapiarium combinatum est²⁾.

O felices coniuges Johannes et Gertrudis, sed spiritu tantum coniugati, carne dissoluti! O felices apostolorum sequaces, qui cum apostolis omnia relinquentes et *centuplum*, quantum pie aestimari potest, in hoc mundo *et vitam aeternam*³⁾ receperunt! O felices Christi amatores et imitatores, corde mites et humiles, cum eo *in sedibus duodecim tribus Israel iudicantes*⁴⁾, gloria et honore et omnibus bonis in illo participantes. Amen.

¹⁾ *Ein Beispiel auch bei Dier S. 18*: Quodam tempore . . . venit frater eius germanus eques visitare sororem suam, quondam domicellam. Quod cum intellexisset dominus Johannes (*Brinckerinck*), ostendit eam sibi stantem et lavantem vestimenta in uno lacu. Frater eius equitavit ad eam et vidit sororem suam in tali humili et abiecto opere.

²⁾ *Ebenda*: Ista facta monialis habuit librum, ex quo horas suas dicebat, consutum ex multis peciis. — *Chronik S. 192*: Het was hijr doe noch soe arm, dat sie geen guet gesack van pappijr en konden gekrijgen. Ende ock want sie gene guede stemme en hadde, den choer te helpen, soe en waert hoer niet gegeven als den anderen. Soe nam die oetmodige ziele leyen, daer sie hoer dinghe of schref, dat sie inden choer lesen solde, ende dat was een seer pijnlick dinck, omme dat siet vaeke vernyen moste, wantet vaeke anders ende anders was, datmen lesen solde. — *Später erhält sie mit Genehmigung der neuen Priorin doch Papier*: Do was suster Truyde blijde ende schref doe hoer choer boeken ende wes sie behovede. Ende sie was soe vlijtich op dat schrijven, dat siet suster Lijsebet van Tiel wal geklaget heeft, dat sie daer wat mede verlaren had van horen inwendigen toekier ende oefenyngen, welck sie daer na so niet weder en konde gekrijgen.

³⁾ *Matth. 19, 29.*

⁴⁾ *Matth. 19, 28.*

De Bernardo de Asbecke et coniuge ipsius cap. 31.

Bernardus de Asbecke alias Pastoerken¹⁾, in Novo Castro²⁾ ipse castellanus, et hic monasterio magnam assistentiam fecit et laudabilem insuper vitam duxit. Nam cum uxore sua Margaretha, praedicti Johannis germana, secundum legem Domini incedere more Zachariae et Elisabeth studuit, sed Johannem non acceperunt. Uno namque ac compari spiritus fervore ad bona opera ferebantur, ut mentis coniugatio carnis copulationem in eis vinceret in tantum, ut, quamvis secundum legem essent corpore coniuncti, solo tamen spiritu, ut dicebatur, fuerant in Domino coniugati.

Hi denique cum Job tertium salvandorum ordinem imitantes huius substantiam mundi bene dispensaverunt, in divinorum observatione mandatorum solliciti, misericordiae operibus et elemosynis ac hospitalitati intenti, in divino servitio devoti, ad iustitiam rigidi, super afflictos viscerosi et in proximorum salute zelosi fuerunt. Libros etiam spirituales et devotos ad suam mentem pro sua et aliorum instructione, admonitione, illuminatione et consolatione et salute procuraverunt et sic filios spirituales procreare, vivificare et educare studuerunt. Et quamvis urbani essent ac nobiles, habitu tamen, victu et actu simplicitatem ac tenuitatem et sobrietatem coluerunt.

Tantus denique reverentiae divinae zelus in corde viri creverat et efferbuerat, ut ipsos clericos et presbyteros de suis excessibus, irreverentiis ac negligentis ferventer admoneret, unde ex obliquo Pastoerken ab ipsis subsannatorie cognominatus est. Sed quia sapientia vincit malitiam, cum ipse in bono perseveraret, tanta apud omnes illius reverentia excrevit, ut illi contradicere non auderent, sed digitum ori imponerent, et qui levitate ambulabant aut in plateis ludebant, cum hunc virum gravem ac maturum cernerent, quasi ante magistrum pueri fugiebant et vultus abscondebant.

Et illius vita non tantum saecularibus, sed et religiosis exemplaris fuit. Unde et pater Hinricus Kyndeshoff huius et aliorum comparatione fratres humiliabat dicens: „Et quid nos dicemus

¹⁾ Er nennt sich auch urkundlich „Bernd von Asbeke, anders gheheten Pastoer“, so in der Urkunde vom 4. Dezember 1416, in der er mit seiner Frau Margarethe die Schenkung Johans v. Bevern bestätigt.

²⁾ Nienborg.

aut quid acturi sumus? Ecce, ad nos isti nobiles homines veniunt quasi de castro praedonum et spelunca latronum, qui in medio nationis pravae ac perversae ad bona proficiunt et inter incredulos, subversores et scorpiones quasi lilia inter spinas florent et crescunt. Sed heu, nos in virtutibus deficimus, quos a mundi rebus, curis et rumoribus et claustra abscondita et disciplina coercere et professio merito revocare deberet."

Cum ergo vir iste talibus aliquamdiu intentus multa insuper bona conventui fecisset, sepulturam in monasterio elegit. Sed humilitatem viri attende! Interrogatus, quo loco, an scilicet in choro, an in ecclesia humari vellet, respondit: „Ut quid cadaver istud et haec caro in ecclesia sepeliretur? Apud Wolterum laicum in communi cimiterio magis me sepelietis."

Margaretha autem uxor eius post viri mortem¹⁾ eundem secuta ad monasterium inter sorores²⁾ cum magno fervore, honestate ac humilitate aliquamdiu conversata tandem cum viro suo sepulta est³⁾.

De Nicolao de Beveren cap. 32.

Favorem etiam Johannis de Beveren ac pietatem multi castelani subsequuti sunt, sed illius parentela et cognatio maxime. De quorum numero etiam Nicolaus de Beveren, Johannis patruus, et post ipsum filius eius Fredericus praecipui extiterunt. Qui omnes toto vitae suae tempore specialem affectum et amorem ad monasterium istud habuerunt et tamquam zelosi patres, promotores, defensores et adiutores fidelissimi semper fuerunt. Sed et omnis ipsorum posteritas adhuc circa centum annos eandem fidelitatem devote continuavit et continuat.

Ipsae etiam Nicolaus, sicut in vita sua conventum dilexit, ita et in morte non est ab illo separatus. Nam cum fratribus sepulturam elegit et in ecclesia tumulatus est, ubi et sollemni lapide

¹⁾ Er starb am 12 Mai 1422 (Nekr.).

²⁾ Ein Schwesternhaus wurde bei Frenswegen (nördlich vom Kloster) 1417 gegründet. Am 13. Dezember 1416 schenkte Graf Bernhard zu diesem Zwecke ein Grundstück (die Urkunde gedruckt bei A. Wilkens, Genealogische Geschichte der alten Reichsedlen und Dynasten von Steiniurt, Münster 1826, S. 94 f.).

³⁾ Sie starb am 19. Januar 1430 (Nekr.)

requiescit. Quo defuncto coniunx illius Jutta ad monasterium ad sorores¹⁾ se transtulit et ibidem per aliquot annos ferventer et laudabiliter conversata post mortem ad virum suum apposita est. Similiter et Fredericus, filius eorundem, apud ipsos pausans requiescit in pace.

De Johanne Voet castellano cap. 33.

Sic et Johannes Voet senior, quamvis veteranus et dierum multorum extiterit, magno tamen fervore et desiderio se ad monasterium dedit. Nam et ipse in Benthem castellanus fuit. Hic cum attenderet, quod iam dies eius declinassent et serius dominicam vineam introisset, ferventius ac festinantius laborare et viam mandatorum currere coepit adeo, ut necesse esset ipsum a superiore restringi, ne in via per indiscretum fervorem deficeret. In primis denique de iniustis bonis secundum sui superioris consilium satisfecit. Ut et omnia illi munda essent, portario monasterii pecunias dedit, qui eleemosynas pro eo largas pauperibus erogaret. Proinde exemplarem ac laudabilem ducens conversationem cunctos fratres carissimo venerabatur affectu, et si cui in transitu vel ambitu obviaret, hunc multum benigne ac viscerose amplexabatur. Et cum tandem quaedam de bonis suis conventui assignasset ac tradidisset, consummatus in brevi explevit tempora multa et appositus ad patres suos in ambitu fratrum sub lapide requiescit²⁾.

De Johanne Monick, cive Scuttropensi, cap. 34.

Johannes Monick, consularis ac civis Scuttropensis, et ipse inter fundatores deputandus est³⁾. Nam cum in mundi fortuna locuples esset et sapientia peritus, et lingua eruditus, iustitiae tenax et rectitudinis zelosus fuit. Et haec omnia et ipsam suam animam

¹⁾ Darunter ist wohl das oben S. 73 Anm. 2 genannte Schwesternhaus Frenswegen zu verstehen.

²⁾ Er starb am 3. Oktober 1432 (Nekr.). Urkundlich wird er als Erlaxe der Velstorper Mark in der oben (S. 72 Anm. 1) erwähnten Urkunde von 1416 genannt.

³⁾ Vgl. oben S. 27 Anm. 5.

pro domo Domini exponere, cum oportunum fuisset, paratissimus fuit, imo etiam paene usque ad sanguinem pro servorum Dei tuenda iustitia improbis restitit et famulorum ac famularum Dei fidelis advocatus, pius patronus et fixus tutor perseveravit.

Ex illius denique zelo ac sollicitudine recens illa ac devota congregatio sororum in Scuttorpe radicata ac firmata est, cuius ipse in temporalibus primitivus procurator et fundator extitit¹). Si quando inimici immissione civium rancor et tempestas exurgeret, ipse quasi orphanorum ac pupillorum defensor procellis dorsum obiecit ac pondus suscepit, ut etiam opprobria et persecutiones pro eisdem pati non refugeret²).

Praedicti itaque bonorum memoria digni principaliores ac primi fundatores monasterii extiterunt, qui suis beneficiis, elemosynis, obsequio, assistentia conventum semper iuvare et promovere ac protegere fideliter studuerunt et non modo sua, sed et semetipsos impendere et superimpendere paratissimi. Quorum pietatem interim plurimi devota officiositate imitati sunt et imitantur, monasterio elemosynis, utensilibus, ornamentis, obsequiis, assistentia et defensione hilarissime ac liberalissime subvenientes. Et illorum memoria non tantum in libro monasterii, sed et in libro vitae sit. Unde et fratres pro illis solliciti erunt, ut quorum elemosynis in Dei servitio sustentantur, illis et divinum favorem conciliare, salutem ac prosperitatem, gratiam et gloriam, sicut dignum est, impetrare fideliter satagant.

Haec ergo de primis benefactoribus hic commemorasse sufficiat, et iam de monasterii ac personarum profectu gratioso opportunius prosequendum restat. Sicut enim praedictum est, etiam usque ad centesimum foundationis annum copiosa bonorum fertilitas de Nemore beatae Mariae provenit, de quibus aliquas spicas colligere non pigebit.

¹) Am 21. Januar 1408 überließ er dem Kloster einen jährlichen Zins von 10 Schillingen (Urkunde im Fürstl. Archiv in Burgsteinfurt), am 4. April 1431 eine jährliche Rente von zwei rheinischen Gulden (v. C o o t h; die Urkunde habe ich nicht finden können).

²) 1418 wurde das Schüttorter Beginenhaus in ein Schwesternhaus verwandelt und dem Kloster Frenswegen unterstellt (J u n g, Cod. dipl. Nr. 160).

³) Monick starb am 27. September 1433 (Nekr.).

De quodam puero obsesso
cap. 35.

Postquam pestilentia, de qua praedictum est, sopita fuit, adolescens quidam duodecim circiter annorum de civitate Noirthorn centum, ut dicebatur, daemonibus obsessus, cum spe liberationis ad monasterium Mariae missus est. Quem cum fratres ad tempus ex caritate sustinuissent, tandem beatae virginis meritis et fratrum orationibus, sicut per quandam revelationem claruit, liberatus est. Et quamvis ceteris diebus maligni spiritus ex suo obsesso fratribus molesti essent, in praecipuis tamen festivitatibus supra modum insolenter et turbulenter se gesserunt, ut paene totam domum a spiritualibus exercitiis frangere ac disturbare viderentur. Ecce, quorum instinctu turbationes, insolentiae, rumores saeculi, murmurationes, oblocutiones et cetera mala ingeruntur.

Dum ergo post vesperas in profesto annuntiationis beatae Mariae quidam subminister in coquina ante obsessum venisset, scilicet Hinricus Brubach clericus, ait obsessus: „Ecce, aliqui nostrum coquos crastino visitabimus, ut eos coquere iuvenus.“ Coquus respondit: „Si ad coquinam veneritis, scutellarum vos lotura perfundemus.“ Respondit daemon: „Ita fiat, sicut dixisti.“ Cum autem media nocte ad matutinas coquus surgeret, ante lectum eius ingens quoddam fantasma sicut vas Homburgense iacuit, ad quod coquus offendit transiturus, de quo nimio terrore perterritus ad terram corruit. Facto autem die cum iterum ante obsessum coquus veniret, ait daemon: „Si adhuc immunda lotura tua nos perfundere minaris?“ De quo improperii et nocturno fantasmate coquus in tantum turbatus et a semetipso alienatus est, ut et ipse pariter obsessus videretur et per duas vel tres noctes cum custodia super eum fratres vigilarent. In die vero Mariae in coquina plus solito ad iniuncta murmuravit et paene ad omnia opera adversitatem sensit.

Cum etiam duo de laicis obsessum custodirent et primas de domina nostra lectitarent et maxime cum preces continuarent, diabolus quasi incendium passus ex obsesso horribiliter ululare coepit et vultum pueri ad torsum violenter retorquere comminans, nisi legendo desisterent, mox obsesso collum frangeret et eum suffocaret. Puer vero multum angustiatus est et vix ullum pilum in corpore habuit, qui sudore non maderet. Sed propter diaboli malitiam a bono opere fratres non destiterunt, sed magis om-

nes, qui aderant vel audire potuerunt, in obsequium virginis accensi eiusdem horas dicere, legere ac frequentare devotissime studuerunt.

De laici cuiusdam confessione

cap. 36.

Interea de familiaribus quidam Tyleke dictus, piscator, cum alio circa obsessum nocte excubabat. Daemoniacum ergo Tyleke interrogat, si adhuc spem aliquam in ipso haberet. Cui daemonium audenter respondit: „Spem illam, quam de te habemus, pro cacabo grandiori in braxatorio auro pleno non daremus.“ Ad quod verbum laicus confusus conticuit conterritus et priorem clam adiit et conscientiam suam de omnibus, quibus se male conscium novit, per confessionem diligenter expiavit. Tum ad daemonium rediit et, si adhuc spem in illo teneret, requisivit. Sed daemon iam fraudatus respondit: „Tu iam libbelasti, tu iam libbelasti.“ Propter odium namque confessionis, qua servum Dei iustificatum vidit, ipsum salutare sacramentum proloqui daemon recusavit.

O mira et acceptabilis confessionis virtus, quae peccata iam Deo et angelis et hominibus et daemonibus nota sic occultat et annihilat, si tamen cum contritione cordis, spe veniae et proposito emendationis fiat!

De magistri Hinrici de Brabantia conversione

cap. 37.

Eodem tempore clericus de Brabantia Hinricus, magister artium Parisiensis, ad monasterium recenter venit et ad conversionem recipi humiliter postulavit. Sed cum fratres naturae teneritudinem et vitae insolentiam in ipso, loci insuper asperitatem et laborum frequentiam attenderent et compararent, eum recipere non audebant¹⁾. Cum ergo et ipse cum aliis daemo-

¹⁾ *Von Folgendem abweichend erzählt Busch S. 183:* Fuit tunc ibidem alius quidam magister nomine Henricus, vir doctus et intelligens, qui olim Parisius legerat in cathedra. Qui cum valde devotus et internus esset verbis suis et moribus cunctis exemplaris, omnino tamen ut laicus inter fratres conversatus propter Deum et animae suae salutem annis quam plurimis porcos ibidem pavit educens eos et reducens et usque in finem pene vitae curam eorum gerens. Cum igitur a fratribus ignoraretur, quod bonus esset clericus, contigit semel circa portam, cum porcos soqueretur,

niaco assisteret, quamvis obsessus eundem ante non vidisset, magistrum Hinricum daemonium ironice alloquitur quasi bene cognitum dicens: „O magistre Hinrice, quid vos inter istos pulmentarios agitis? Nonne melius est, ut ad patriam redeatis ibidem honorem et gloriam accepturus, amicis insuper magna subsidia praestiturus? Ibi genua vobis curvabunt et capita inclinabunt et unum pulvinar subter ad sedendum deponent et aliud ad dorsum reclinandum et officiosissime salutabunt.“ Ad haec verba

quendam energuminum liberationis gratia ad monasterium deductum se habere obvium. Ex cuius ore daemon . . . exclamavit: „O magister Henrice, sic non incessistis, quando vos Parisius in cathedra legistis!“ . . . Qui demisso capite nihil respondens pertransiit. Fratres id audientes non modice sunt mirati, quomodo vir tam bene literatus ad hoc humillimum se dedit opus in Dei timore perficiendum, ut porcos pascere praeligeret. Quamvis autem paulatim ad omnium pervenit notitiam, quod doctus erat magister, in officio tamen incepto rogavit permanere et usque in finem vitae in humilitate Deo servire. — *Alter als die Darstellung unserer Chronik ist auch die angeblich (und zum Teil vielleicht auch wirklich) auf mündliche Überlieferung, zum Teil aber wohl auf Busch zurückgehende Erzählung bei Agidius Aurifaber, Speculum exemplorum, Daventriae, Paffroet 1481, Distinct. X, Exempl. X.* (Quomodo quidam magister Parisiensis scientiae suae titulos negligens ad humillima se officia inclinavit): Inter quae (claustra) et illud monasterium non bassam regularis observantiae sedem accepit, quod non longe ab oppido Noethoernensi felicia sua septa locavit et nunc dives virtutibus, religione et sanctitate conspicuum felix germen foecundae devotionis longe lateque dispergit. In quo id, quod dicturus sum, firmissima didici relatione contigisse. Siquidem idem monasterium quidam non infimae famae magister nomine Henricus de Lovanio, qui quondam regimen scholarium Lovanii non segniter administrabat (nam universale studium tunc ibi non viguit [die Universität wurde 1426 gegründet]) Christo militaturus ingressus instantia, qua debuit, locum postulavit. At fratres, qui columnae videbantur et quorum in acceptandis spiritualis militiae tironibus fuerant vota requirenda, posteaquam personae dignitatem, genus, officium, patriam et robur invalidum rescivissent, communicato invicem consilio talia similiaque postulanti responsa tribuerunt: „Tametsi tuum fervidum pectus et sanctissimam voluntatem non sufficiamus debita admiratione prosequi, venerande magister, quibus non expavisti post tantam vitae libertatem et praeclarum officium extra fines nativae patriae hos invalidos lacertos et imbecillem corporis molem huic nostrae paupertati committere et laboribus tuis viribus incompetentibus commendare, tibi tamen nobisque consulimus, ut in tua patria, ubi monasteriorum copiosa multitudo est, et ordinum non contemnenda diversitas, tuum velis propositum consummare, quia, ut ipse videre potes, imbecillitas tua chori nostri gravissimam stationem, qui etiam robustos quosque viros lacessit, non valebit sufferre nec dignitas tua ad alia quaeque abiecta officia, quae laicos magis quam literatos decet, patitur inclinare.“ His similibusque verbis proposuerunt viro rigorem ordinis, spiritualis vitae arduum iter et proprii corporis invalidas vires, gradum magisterii, oboedientiae iugum assuetis libertati durissimum. Sed venerandus magister igne spiritus sancti inflammatus ad haec nihil territus coram omnibus in terram proruens ait: „Ego ad serviendum Domino veni, veni ad promerendum regna coelestia, idcirco nec labor mihi acerbus erit nec indigna gradui meo causa-bor officia neque taediosa imperia suspicabor, per quae id, quod desiderat anima mea, quandoque promerear regnum accipere.“ Hac constanti responsione aedificati fratres iusserunt virum hospitio recipi, donec maturius deliberati, quid de eo fiendum esset, decernerent. Interim vir Dei anxie satis Dominum ac benedictam matrem eius precabatur, ut salutis suae profuturum

adstantes responderunt: „Si haec in sua vita bona magister Henricus receperit, quid illi postea fiet?” Respondit: „Certe ex quo ipse in hoc mundo magnus fuit, etiam nobiscum magnus erit. Tunc namque magnam illi cathedram rubeam et splendidam praeparabimus, ex qua flammae circumquaque super ambas eius aures per gyrum ascendent et candescent. Quo sic gloriose repausante nos accedemus genu flexo dicentes: Avete, magistre Henrice, avete! Nonne magnus honor erit?”

consilium patribus inspirarent et sibi in sancto suo proposito stabilem voluntatem concederent . . . Erat eo tempore, quo ista agebantur, quidam inter fratres, cuius in acceptandis novitiis non contemnenda habebatur auctoritas. Is postquam culcitrae suae fatigata vigiliis ac laboribus membra collisisset, circumfusam circa se ingenti lumine virginem vidit audivitque dicentem: „Dic confratribus tuis, ne virum hunc, qui apud vos degit et cohabitandi vobis locum flagitat, ausint repellere, quia Dominus cum illo est et spiritus sanctus requiescit in eo.” Ad quam ille: „Quae es tu, o pulcherrima mulierum, quae tanta maiestate haec imperas?” At illa: „Virgo Maria sum, singularissima huius monasterii patrona. Quapropter celerius, quae dixi, fratribus pande et summopere cave, ne vel unum iota horum, quae imperavi, decideris.” Cumque post haec verba se regina coeli in coelos recepisset et frater significasset audita visaque conventui, tantae virginis instantias admirati virum cum summa caritate amplexi sunt et ad probam more eis solito receperunt. At ipse non immemor, quod idcirco mundum, patriam, res, se suosque reliquerit, ut in omni humilitate et labore Domino in suis castris militaret, statim, ut se intellexit fratribus annumeratum, scientiae suae sublimes titulos execratus subulci officium cum summa instantia sibi committi postulavit, ut, qui eotenus iuvenit magister, informator ac ductor fuerat, felici, ut sibi videbatur, commutatione scropharum atque porcorum ductor credetur. Fratres itaque licet eum rem suo statui et tantae scientiae indebitam petere non ambigerent, victi tamen importunitate viri non facili admiratione ad tantam humilitatem attoniti petitum officium commiserunt. Favebant tamen sibi, ut prae ceteris laicis, intra quorum numerum sortem accepit, in refectorio monachorum cibum caperet atque solatio latinarum lectionum, quae sub refectiois tempore legebantur, frueretur, ea tamen lege praemissa, ut primum quam refectorium comesurus intraret, indutus decentiori veste se foetidi olidique teristri, quo in porcorum caveis uti solebat, indutiis spoliaret, ne scilicet turpi odorum fragrantia teneriores ad nauseam provocaret . . . Siquidem non fratres modo . . . eum venerati sunt, verum etiam saeculares viri celebri eius fama succensi in dubiis conscientiarum suarum causis eius consilia postulabant, petierunt informationes, preces flagitabant . . . Daemones ad huius viri virtutem stupuerunt. Porro cum quadam vice pendula sordidaque veste indutus porcorum gregem humillime ante se duceret, obvium habuit energuminum hominem, qui daemonis obsidione vallatus statim, ut altissimum scientia verticem ad tantam abiectiorem inclinatum vidisset, palens faciem intremuit et more saevientis apri spumam ructans perturbatis vocibus coepit reboare et dicere: „O scientiae vastae sacrarium, quid agis? Hac lacera stola progredieris? Non ita, fateor, eo tempore incessisti, quando in Parisiensi cathedra doctior doctis, Henrice, legisti. Cessa igitur, cessa, foetidum foedis desere gregem, alios non te tam spernenda decuere officia.” Ad haec similiaque verba nihil respondens demisso prae verecundia in terram capite humilis magister pertransiit, sed omnes, qui audierunt non minus de venerandi magistri humilitate quam daemonis voce mirati sunt et Deum in suis miraculis laudaverunt. Magister igitur Henricus per XX (ni fallor) annos, usque ad decrepitam scilicet aetatem subulci officium sollicitissime administrans feliciter quievit in Domino, eo sublimior in coelo sessurus, quo humiliorem in terris locum accepit.

Quo audito Hinricus nimirum timere coepit et dixit: „Si ergo talis retributio me exspectat, ad dominum Everhardum in Almeloe potius vadam, ut ad poenitentiam ipse me exerceat.“ Respondit: „Ad illum bukardum ire vis? Sed placet, ut eas.“ Nam sub illius arduo magisterio eum diabolus non posse perseverare praesumpsit. Dixit iterum magister Hinricus: „Si talis poena non conversos manet, vadam, ut socios meos convertam et inde eruam.“ Daemoniacus cum applausu respondit: „Ita, ita, hoc bonum est consilium salvare proximum.“

Sed inimici fraudem magister Hinricus in omnibus advertens dixit: „Iam vadam et ante prioris et omnium fratrum pedes me prosternam, si quomodo gratiam hic permanendi impetrem. Cunctis enim vitae meae diebus hic scutellas lavare praeeligo quam ad patriam vel mundum reverti.“ Ad haec daemon respondit: „Nequaquam hoc facias, alioquin omnibus hic derisus et despiciabilis eris.“ Sed Hinricus ex hoc omnem spem a mundo avertit et perseveranter petens a fratribus admissus est.

**De magistri Hinrici fervore et de eius humili
et laudabili conversatione
cap. 38.**

Vir iste in magno fervore conversus est et in bono semper proficiens se ipso altior effectus. Et quamvis universis virtutibus comptus merito dici posset vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso, singulariter tamen cordis puritate, patientia et humilitate nitebat. Ad tantam enim cordis puritatem ascenderat, ut rumores et saecularia non attenderet, sed et talia iam oblivisci et nescire videretur. Et quanto primum fuit eruditior et astutior, tanto simplicior et purior factus est. Patientiam proinde mirabilem habuit, quia, licet peregrinationis suae tempore multa tentamenta ac gravamina pertulerit, omnia tamen aut viriliter vicit aut sustinuit patientissime.

Et ut de illius patientia unum prodatur exemplum, cum esset, ne dicam calculosus, sed lapidosus, nihilominus tamen et Deo gratus et in monasterii operibus officiosus fuit. Attamen ex illius vesica iam mortui lapis excisus est, qui ovo anetae in gravitate coaequavit. In documentum patientiae in monasterio servatur reticulo intextus, si cui videre collibeat.

Sed humilitatem eius quemadmodum praedicabimus? Ecce vir delicatus et in scientiis bene eruditus non se temere vel ambitiose ad sacerdotium ingessit, sed nec acceptavit oblatum. Sed quid? Quinque annis in coquina scutellas lavando coquo subservivit sub gradu dormiens. Post hoc libros *Moralium* beati Gregorii in tribus voluminibus diligenter et bene conscripsit ac paene complevit. Sed ut humilitatem perfecte apprehenderet, non cessavit, donec singulos illius gradus alacriter pertransiret. Unde tandem in porcario duodecim annos servire et porcos pascere elegit magister Parisiensis, qui etiam in cathedra legerat.

Apertos plane oculos ille habuit, qui filium Dei usque formam servi exinanitum videns elegit et ipse abiectus esse in domo Dei, ut in aula coeli sublimius exaltetur.

Mirabile est hoc humilitatis exemplum, quod merito et maxime huius monasterii inhabitantium corda humiliare et ad humilitatis amorem promovere debeat. Et propterea anniversarium eius sic pronuntiatur: „Anniversarium Henrici de Brabantia, magistri Parisiensis, subulci“¹⁾).

De Matthia Clerico

cap. 39.

Circa idem tempus alius quidam laicus familiaris²⁾ dictus Matthias³⁾ vita et humilitate non minus laudabilis ibidem clarus effulsit. Iste dum saeculari scientia apprime eruditus esset et praedicto Hinrico doctior, aliquamdiu delitescens quasi unus de plebeis et idiotis conversatus est. Tandem a quodam hospite visus et nescio quid operis agens, an forte fimum curribus imponens, cum magna admiratione proditus ac manifestatus est, quia vir doctus et prudens esset. Sed et dominus Hinricus Crul virum crebro acutius considerans ipsum plus quam laicum esse iudicavit⁴⁾.

Cum ergo domus priore orbata esset et de fratribus Johannes de Gronynghen solus supermansisset⁵⁾, et non inveniretur,

¹⁾ So heißt es im *Nekrologium* unter dem 9. Juni. Heinrich von Brabant starb am 22. September 1439 (*Nekr. und unten*, Kap. 52).

²⁾ Im *Nekr.* ist er als *donatus* bezeichnet.

³⁾ Im *Nekr.* heißt er *Matthias Klerck*.

⁴⁾ Vgl. hierzu die stellenweise auch in der Darstellung anklingende Erzählung von Busch S. 182 f.

⁵⁾ Vgl. oben S. 38 ff. und 46.

qui satis decenter ad dominum superiorem scriberet, dominus Hinricus ad fratrem Johannem dixit: „Fratrem Matthiam ego saepius considerans adverto, quod non purus sit laicus, sed virum prudentem existimo. Unde puto, si ei seriose imposueritis, consilium pariter et auxilium invenietis.“ Miratur ille et, si ita sit, attentare festinat et auxilium quaerit a Matthia. Sed ille magis latitare cupiens et quasi ridiculosam rem audiens respondit: „Quas, o venerabilis pater, litteras ego rusticus dictare possum?“ Iubet ille, ut, quomodo melius possit, conficiat. Tandem praecepto fatigatus et inoboedientiae vitium admittere omnino refugit et secundum datam sibi gratiam et industriam litteras edidit. Et facta est epistola adeo polita et irrefragabilis, ut stupori audientibus esset et latinitatem armatam¹⁾ omnes testarentur. Unde quidam extunc pertimuerunt dolos conventui praetendere, cum considerarent tantam prudentiam ibidem fulgere.

Iste putatur esse, qui hanc foundationis historiam pro maiori parte usque ad tricesimum annum collegit quamvis aliter. Verumtamen quod de ipso hic dicitur, ille non commemoravit, sed aliorum fide dignorum, qui eum noverunt, relatu divulgatum est. Et talis ac tantus in laicali statu degens domorum tecta reparans ultra triginta annos ac infirmis ministrans vitam finivit. Ille secundum apostoli doctrinam, cum sapiens esset, quasi *stultus* factus est, *ut sapiens*²⁾ fieret. Et propterea aeterna sapientia iam merito perfrui ac debriari dubitandus non est³⁾.

De patre Theodorico de Vyanen ex Eemsteyn electo cap. 40.

Sed ad gestarum seriem rerum iam sermo recurrat. Sicut autem praedictum est⁴⁾, septimo foundationis anno in isto monasterio pestis inguinaria magnam stragem fecit et ipsum non solum in membris, sed etiam in capite truncavit, dum priorem Hermannum Plettenborch abstulit, cum quo primitiva generatio pro magna parte ad patres suos recollecta est. Unde ergo solus frater, scilicet Johannes Gronynghen remansit, ad quem novi prioris electio devoluta. Hic ergo ad dominum superiorem capituli generalis

¹⁾ *ornatam?*

²⁾ *1. Cor. 3, 18.*

³⁾ *Matthias starb am 20. Januar 1434 (Nekr.).*

⁴⁾ *S. 38 ff. und 46.*

pergens electionis ius in manus capituli resignavit. Ordinato igitur a priore, superiore ac conventu capitulo privato quidam ad hoc electi sunt, ut pro hac domo novum priorem secundum iuris ac ordinis tenorem eligerent.

Anno itaque dominicae incarnationis millesimo quadringentesimo primo post festum venerabilis sacramenti¹⁾ vir humilis et probus, frater Theodoricus de Vyanen ex conventu Eymsteyn²⁾ electus est. Iste homo ab adolescentia sua bonae indolis ac spei iuvenis adolevit, ut quoddam praesagium futurae probitatis in ipso radiaret. Cum fratre enim suo scholas frequentans velut binae columbae mira simplicitate, verecundia et honestate claruerunt neque, ut illa aetas assolet, petulantiae puerilibusque desideriiis aut saeculari vanitati se dederunt, sed quadam morum gravitate seipsos transcendentis iam iamque sese ab hoc saeculo immaculatos custodire videbantur.

Factus ergo Theodoricus regularis, virginalis et sobrius et scriptor egregius, de cathedra scriptorum ad pastorem curam propter suam opinionem vocatus est. Dum in suo monasterio adhuc constitutus flores Bernardi diligenter colligeret, librum de praelatura ex integro dimisit ex humilitate arbitrans istum librum sibi fore non necessarium. Sed Dominus, qui *exaltat humiles*³⁾, etiam hunc dignum prioratu computavit. Sed et ipse exaltatus ingenitam probitatem ac pristinam humilitatem non abiecit, imo, sicut de eo pronuntiatum fuit, ab his, qui hominem altius consideraverunt, vir admodum pius, prudens, humilis, pudicus, communi bono multum fidelis et zelosus, habitudine et vultu religiosus et verecundus, sermone temperatus, moribus disciplinatus et prudentia discretus.

Per istum hominem Deus electi monasterii sui statum et quantum ad interiora et quantum ad exteriora mirifice ordinavit per animarum lucrum et temporalium augmentum, scilicet in pecoribus, agris, pratis, redditibus, pensionibus, grangiis, praediis, decimis, aedificiis ac fossatis. Eius quoque tempore lignea ecclesia cum quinque altaribus dedicata est et cum varia suppellectili ad divinum cultum pertinente, videlicet sacris vasis et vestibus, fratrum sedilibus et campana ditata et perornata. Invenit namque res ipsas inceptas, sed ex omni parte imperfectas. Sed opus cura-

¹⁾ Fronleichnam war 1401 am 2. Juni.

²⁾ Eemstein bei Dortrecht (*Acquoy* 3, 19 ff.).

³⁾ *Luc.* 1, 52.

rum ac sollicitudinum plenissimum ipse fideliter et ferventer assumpsit.

Sategit denique, ut ipsum monasterium fieret claustrum et clausum, septis fossatis, portis, seris ipsum communiens. Molendinum quoque pro usu monasterii cum rivo a superiori adducto et inferius deducto ipse fundavit¹⁾. Coquinam, pistrinum et utrasque domos pro refectorio ac dormitorio fratrum ordinavit et construxit. Omnes impensas, praesertim structuralum cum parvo et modico pretio consummavit. Mechanicas monasterii officinas instituit. Ipsum ruralem fundum Hinrynckynck et grangiam Nydelinck pro ovibus et cum ipsis ovibus procuravit. Cum omnibus officialibus sollicitus fuit. Post completorium cum procuratore et cum archicolono negotia domus postera die peragenda diligenter pertractavit et ordinavit.

Mira autem hominem foris columbina simplicitas decoravit, intus nihilominus discretionis prudentia repletum, ut etiam in rebus ordinandis et construendis multos magistros vincere putaretur. Nunquam a bono vacabat exercitio, sed vel legere vel scribere, corrigere, imponere, pergamenum pro scribendis libris formare diligentissime consuevit et suo exemplo tam fratres quam laicos opera communia et laboriosa cum virtutum exercitiis et orationibus ac meditationibus adiunctis ferventer continuare promovit. Nam *psalterium iocundum cum cithara*²⁾, devotio scilicet cum manuum operatione et mortificatione. Et quamvis laboribus communibus non deesset et post completorium etiam confessiones reciperet ultra octavam horam, tamen propter hoc matutinis cum fratribus solvendis rarissime defuisse visus est.

Sed et divinum cultum, ceremonialia et ritus, praesertim psalmodiam et melodiam religiosa quadam temperantia et laudabili elegantia per gradus et tractus ac pausas decenter ac moderanter rexit et ordinavit.

In his ac plerisque aliis domus haec quoad utrumque statum per hunc hominem Dei quatuordecim annis³⁾ Deo cooperante multum laudabiliter ac mirabiliter est provecta. Tandem pius Dominus libertati pristinae eum restituendum decernens ab onere ac cura pastorali absolvit, quod ipse, sicut ore proprio fateri voluit, diu desideraverat, ut saltem sic intimius ac liberius ad

¹⁾ Vgl. S. 55.

²⁾ Psalm. 80, 3.

³⁾ 1401—1415.

Dominum aliquantum aspirare posset diceretque cum propheta: „*Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam et amplius non ero*“¹⁾).

Demum anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo primo obiit et in pace quievit de laboribus suis praemia recipiens permansura.

De fratre Johanne Groningen cap. 41.

Iste frater Johannes de Gronyngen, de quo prius commemoratum est²⁾, magna monasterii columna extitit. Qui cum de toto conventu superstes remansisset, quasi totius virtutis exemplar tam in vita activa quam contemplativa se exhibuit.

Nam in operibus communibus, vilibus ac laboriosis primum se fecit ac ferventissimum, manibus laborans, corde et ore sacras meditationes, orationes et psalmos ruminans. Quod enim psalmi poenitentiales et huiusmodi in laboribus perorantur, ipse primum in consuetudinem duxit. Cuius fervorem cum ceteri familiares attenderent, desides esse non potuerunt. Cum autem adiutores non haberet, ipse longo tempore familiam perdocuit festivis diebus collationem faciens. In spiritu fervoris verba ignita operibus pietatis associavit. Licet enim in laboribus corporalibus assiduus esset, tamen in exercitiis virtutum sibi ipsi multum rigidus fuit et austerus sicut in vigiliis, castigationibus et lacrimis. Sub culcitra pro straminibus ligna habuit detruncata et seipsum virgis adusque sanguinem crebrius affecit. Et cum de indiscretione argueretur, respondit se in peccando indiscrete et immoderate aliquando excessisse.

Circa interna quoque exercitia multum devotus fuit, maxime circa dominicae passionis sacramenta, sicut et in laudibus et obsequiis beatissimae virginis Mariae sedulum se ostendit. Priusquam ad sacrosancta mysteria celebranda accederet, seipsum Deo hostiam contriti cordis immolare curavit. Raro denique sine lacrimis illud magnum pietatis sacramentum obtulit, rarius autem, quando opportune fieri potuit, ad illud sine afflictione corporis aut sudoris effusione consecrandum accessit.

Fuit proinde religionis zelator, amator virtutum, exemplar poenitentiae, disciplinae forma, praesidium desolatorum, iner-

¹⁾ *Vielm. Psalm. 38, 14.*

²⁾ *S. 82.*

tium stimulus, fraternae salutis avidus, Deo devotus, proximis benignus, sed sibi ipsi severus. Corde ardebat, in opere fervebat et in caritate flagrabat.

Minutionis et spaciamenti tempore quamvis se fratribus satis decenter solatiosum exhiberet sicut homo spiritu iocundus, circa reditum nihilominus se paulisper sequestrans aut vigiliis aut poenitentiales psalmos aut alias orationes libenter perorabat.

Ut igitur plurimum fructum per patientiam faceret, tandem longo tempore valida stomachi infirmitate et colica passione probatus est. Qui insuper quasi gratioso sibi arridente otio paene singulis diebus infirmitatis suae cum horis canonicis et cursu beatae Mariae etiam integrum psalterium Domino persolvebat exceptis vigiliis et septenis atque aliis, quae ex speciali devotione quotidie frequentare assuetus erat. Quem pro piis laboribus iam nunc aeterna recepisse praemia dubitare fas non est¹⁾.

De Wilhelmo Stoppendael cap. 42.

Alius quidam familiaris Wilhelmus Stoppendael ad conversionem venit, qui tamquam lucerna fulgoris totam hanc domum illuminavit. Qui cum in diebus iuventutis suae cum decurionibus et equitibus paulisper vitam transegisset, illius status pericula advertens de propriis possessionibus vivere et eleemosynis intendere delegit et maxime hospitalitatem exercere. Et ad hoc in sua domo lectos fecit et cum uxore sua peregrinos ac pauperes suscipiens etiam alimenta eis ministrabat. Et quamvis illi saepe fraudem et furtum facerent, ipse tamen in bono perseverans haec supervenientibus pauperibus non imputavit. Erat enim valde compatiens et ad pauperes munificus, ut nullus sine subventionis ope ab illo recederet, et ex quo Dominum timere coepisset, nunquam bonum opus, quod adimplere posset, negligenter omitteret. Nam diversis quasi singulis debitor opem impendit mutuum dando, debita remittendo et solvendo, consilio et auxilio subveniundo.

Multas quoque peregrinationes faciens omnia sua familiae saepissime commisit et loca sancta ipse cum uxore fideli devotione frequentavit. Quo tempore etiam in magnis civitatibus, ut

¹⁾ *Er starb am 20. September 1410 (Nekr.).*

est Colonia, Treviris et Aquis, quatuor aut sex diebus moram fecit, ut inibi divinis mysteriis, videlicet missis et praedicationibus avide posset interesse. Praedicationes valde sitiebat audire in tantum, ut, si etiam sermo Latinus ad clerum¹⁾ fieret, quamvis ipse non intellexit, tamen ad ostium auscultans sociis praecedentibus ante consummationem non recessit. Unde etiam admirantibus respondit: „Latina quidem verba non intelligo, sed sola verbi Dei dulcedo me tenet; nam Jesum et Mariam aliquando nominari audio et totum, quod de sermone foris perceptum fuit, salubre existimo ad divinum.

Quadam vice ab hostibus captus dum per totam noctem quasi super speratam praedam vigilarent, tandem in noctis crepusculo stertere omnes ac dormire graviter coeperunt. Inter quos ipse sola ligatus fide quasi inter mortuos resedit ut agnus, cum vel effugere vel occidere potuisset illos. Tandem principi oblatus est, qui viri probitatem agnoscens de illius adversitate partim doluit. Sed tamen carceri mancipatus nec tristitia nec inertia resolvebatur. Quasdam enim meditationes dominicae passionis, prout in praedicationibus didicerat, competenti forma compilavit et cum his se in tribulatione occupavit. Sed libertate tandem donatus quotidie in bonis crevit.

Haec igitur illius in saeculo conversatio fuit.

Demum, ut perfectus fieret, mundum et omnia reliquit et secutus est Dominum. Sed Dominus in hac vita centuplum illi reddidit, ut tanta ditaretur gratia, ut illius vita et saecularibus et religiosis fieret in exemplum. Magna namque caritate nitebat, magna humilitate et oboedientia, ut ad omnia iniuncta alacer esset et promptissimus. Quidquid enim iubebatur, sanctum iudicavit ac deificum, ut sua hilari oboedientia fiduciam praestaret imperanti. Nunquam se pro difficultate vel impossibilitate excusavit.

Valde sincere de aliis sensit, seipsum peccatorem et alios reputans angelos. Nunquam se in actibus fratrum offensum vel scandalisatum dixit, sed omnes ut veri Dei cultores ex animo honoravit. Si quis ad illum veniret, surgebat et locum ei dabat. Officia caritatis implevit ardentissime, ut pro quacumque re praeparanda vel mutanda semper laeta facie cum amplexu diceret:

¹⁾ Also auch hier die für manche Kritiker des mittelalterlichen Kirchentums lehrreiche Feststellung, daß es lateinische Predigten an das Volk nicht gab.

„Libenter faciam, et utinam Deo et tibi gratum aliquid facere possem.“ Sed de indiscretionem admonitus respondit: „Multo tolerabilius puto, quod isti mihi bipennem vel terebellum frangant, quam ego caritatem frangam pretiosissimam.“

Et ut caritatem abundantius exerceret, portarii officium sortitus est. Et quis dicet, quantam ibi misericordiam pauperibus exhibuit? Nam et ex industria etiam pauperum necessitates exploravit, ut posset pro illis plura expetere et administrare.

Dei potentiam, sapientiam et bonitatem magnifice in creaturis laudavit et non iam timore servili, sed amore filiali poenituit et Deo servivit, creatori scilicet, redemptori ac salvatori. Jugi caritate velut caminus ardebat, in compunctione frequens, in oratione pernox, assiduus in devotione et circa dominicam passionem valde meditans. Multis annis de licentia ad fratrum matutinas surrexit, ubi se in lacrymis, compunctione et oratione eo utique uberius, quo liberius exercitavit.

Multis ergo meritis ex misericordia pauperum opimus, tandem unius anni infirmitate purgatus est et circa extrema mentis quadam ariditate probatus. Sed subito revixit spiritus eius, ut recenti videretur gratia perfusus et in novum hominem mutatus. Sacramentis igitur dominici corporis et sanguinis munitus spiritum Deo tradidit ignitum¹⁾.

De Johanne pellifex cap. 43.

Venit huc ad conversionem quidam de Monasterio Johannes pellifex iuvenis aspectu decorus, spiritu fervens, suavis, modestus, obsequiosus, affabilis et benignus. Qui cum aliis fimum porcorum eiciens mira quadam et nunquam experta suavitate recreatus est, quae omnium apothecarum fragrantiam vinceret. Unde admirans ceteris etiam de hac suavitate dixit et saepius, si non sentirent, inquisivit. Et cum illi se foetorem tantum percipere dicerent, quasi somniantes volens excitare trahebat admirans et iterum sciscitabatur. Et cum illi nihil perciperent, altius perpensum et iudicatum est, quod Deus illum in suo amore etiam

¹⁾ *Stopendael starb am 7. März 1407 (Nekr.).*

exteriori suavitate radicare vellet, ut, qui omnia propter Dominum omiserat *centuplum et vitam aeternam*¹⁾ reciperet.

Sed interea pater illius carnalis pestilentia correptus usque ad mortem infirmatus est. Instanter ergo filium venire petiit propter rerum ordinationem. Quod dum fieret, reconvallescente patre filius mortalitate infectus est. In congregatione ergo clericorum se recipiens sacramentis muniebatur. Cum ergo in agone laboraret, diabolum manifeste astantem vidit, qui ei cum quadam vacca, quam aliquando in obsidione cum aliis abstulerat, multum molestus fuit. Et quamvis hoc secundo et tertio confessus fuisset, tamen iterum atque iterum confessus est. Sed diabolus semper cum rapina rediit. Tandem Hinricus Ahus²⁾ illi iniunxit, ut laesis, quantum posset, satisfaceret et vaccam in integrum de iusto patrimonio restitueret. Quod ut factum est, et ille malignus cum sua praeda evanuit et servus Dei in pace requievit.

Ecce, quod peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, si tamen possibilitas suppetat. Ille ergo consumatus in brevi explevit tempora multa.

De Aegidio de Creveldia cap. 44.

Alius quidam dignus bonorum memoria laicus familiaris Aegidius de Creveldia ibidem conversatus est³⁾, qui cum magistro Hinrico antedicto⁴⁾ porcos pavit. Iste homo quamvis multis virtutibus clarus esset, tamen devotione, humilitate, oboedientia multis insignior apparuit. Nam devotionem habere extaticam visus fuit, ut etiam iubilare plerumque videretur. Humilitate etiam non tantum praelatis, verum etiam aequalibus se inferiorem fecit. Tam scrupulosae quoque oboedientiae extitit, ut, si illi a quolibet iniungeretur, ut curreret et hoc vel illud faceret, ipse quasi quodam cursu iniunctum quantocius explere festinaret.

¹⁾ Matth. 19, 29.

²⁾ Rektor des Fraterhauses in Münster 1401 bis 1439 (mit dreijähriger Unterbrechung in Köln 1417—1419). Vgl. über ihn meinen Aufsatz im *Historischen Jahrbuche der Görresgesellschaft* 30 (1909) S. 762—798, E. B a r n i k o l, *Studien zur Geschichte der Brüder vom gemeinsamen Leben. Die erste Periode der deutschen Brüderbewegung: Die Zeit Heinrichs von Ahaus, Tübingen 1917*, sowie meinen Aufsatz *Neues über Heinrich von Ahaus in der Zeitschrift für vaterländische Geschichte* 74 (1916), 1, 229 ff.

³⁾ Er starb am 21. November 1440 (Nekr.).

⁴⁾ Heinrich von Brabant, S. 77 ff.

Cum autem quadam vice de nimis sobria refectioe proclamaretur, respondit se ad sufficientiam et saturitatem reficere. Sed a praesidente increpatus, quasi nesciret, quando saturatus esset, sed ut magis usque ad signum exeundi comedere deberet, praeceptionem istam alta mente reponens deinceps, usque dum lector diceret „Tu autem, Domine“ aliquid semper ruminando, sed non immoderanter vorando comedens perseveravit.

De patris Hinrici Loeder electione ac institutione cap. 45.

Post praedicti prioris Theodorici supportationem electio super quendam in Kersendonck¹⁾ conventualem Hinricum Zeile de Herentaels, magistrum in artibus, cecidit. Sed ille propter suam teneritudinem et loci paupertatem ac gravamina electioni consentire pertimuit ac recusavit.

Sed tunc frater Hinricus Loder, conventualis ac sacrista Wyndesemensis²⁾, ad hoc Nemus beatae Mariae virginis excolendum electus et assumptus est³⁾. Fuit autem vir iste corpore robustus, ut puta natione Westphalus, opere mechanicus⁴⁾, non longae staturae, humeris amplus, capite calvo, rubea carne, barba copiosa, facie lata, nare symus, ventre copiosus, carne pinguis, tibiis gracilis, pedibus parvis, grossa voce, cute nervosa. Hic quamvis in Wyndesem primum propter scientiae⁵⁾ ac natalium defectum⁶⁾ pro derelicto inter clericos haberetur, propter suam tamen officiositatem ac diligentiam, quas in operibus rusticanis et coquina sedulo exhibuit⁷⁾, et propter eius importunas instantias tandem in conversum, demum in choralem fratrem⁸⁾ est creatus. Fervoris⁹⁾ ergo

¹⁾ Kersendonck bei Turnhout im Bistum Kammerich (*Acquoy* 3, 30 ff.)

²⁾ Nach *Busch* S. 165.

³⁾ Auch das Charakterbild Loeders hat *Jostes* S. 17—31 unserem Chronisten und *Busch* nachgezeichnet.

⁴⁾ Nach *Busch* ebd.

⁵⁾ *Jostes* S. 22 Anm. 2 ändert mit Unrecht in faciem. Es steht da scie mit Abkürzungszeichen.

⁶⁾ Ebenso *Busch* S. 165. Nach demselben S. 184 war der Vater ein „vasallus“, also Ritter in Loeder (heute Laer) bei Iburg.

⁷⁾ Von dem opus coquinae und den labores rusticani redet auch *Busch* S. 165.

⁸⁾ Er wurde am 22. März 1400 aufgenommen (*Busch* ebd. und die bei *Acquoy* 3, 268 abgedruckte Liste der Windesheimer Chorbrüder).

⁹⁾ Die hier und im Folgenden durch Petitdruck bezeichneten Stellen sind aus *Busch* entnommen.

et caritatis zelo proficiens sub modio delitescere non potuit, sed super candelabrum in officio prioratus positus monasterium ipsum Vrendeswede in personis, temporalibus ac spiritualibus bonis promovit et exaltavit, ut gloria ordinis fieret.

Denique Nemo illud Mariae ingressus invenit inibi fratres, clericos, laicos ac familiares in magna paupertate simul degentes, quos ille sicut vir magnanimus ac munificus in fervore spiritus multa caritate complectens in vera illos oboedientia, caritate, humilitate, simplicitate, sui vilitate, patientia ceterisque virtutibus exemplo suo pariter et verbo paterna sollicitudine vivere ac conversari docuit et permovit, sine quibus nulla spiritualia vel temporalia quorumcumque monasteriorum bona unquam profecerunt vel proficient, sed sensim vel visibiliter in cunctis deficiunt, ut in multis antiquis monasteriis ad oculum patet.

Temporalium itaque attenuatio et afflictio spiritualium detrimentorum probabile argumentum est. Monasteria enim, quae in debita observantia consistunt, ubique proficiunt, quae vero a reformatione declinant, semper attenuantur et deficiunt.

Sed venerabilis hic pater in fervore spiritus primo omnium voluit et instituit, quod omnes sui fratres humilia opera quotidie exercerent, venias frequenter peterent, quandoque cum osculo pedum, ad terram comederent, disciplinas reciperent, hospitem pedes abluerent, opera vilia non abhorrerent, humilitatem et caritatem singulis exhiberent debitam, sine cibo et potu ad portam venientem abire permetterent neminem, in conventu de cibis et potibus non murmurarent, de his vero, quae habere poterant, comederent et suo tempore dormirent, horas beatae virginis, septem psalmos poenitentiales et vigiliis in laboribus simul legerent.

Haec et alia plura in nulla domo capituli nostri tam stricte sunt unquam observata, sicut ibidem inchoata referuntur. Unde ex illa domo tam frequens veniarum petitio et humilis exercitatio operum in plurima capituli nostri monasteria derivatur ac descendit.

De illius circa temporalia moderata sollicitudine cap. 46.

Omnia proinde, quae praedecessor eius acquisivit et fundavit, puta ut in structura ac temporalibus ipse augmentare et duplicare omnimodis curavit. Sollemnem domum lapideam, quae nunc infirmaria est, ipse fundavit, molendinum cum novo rivo introrsum

reduxit, domum agriculturae retrorsum pro magna parte ampliavit, portam monasterii novam construxit cum septorum notabili dilatatione, ubi nunc carpentaria domus est deputata. Utrisque grangias, Nydelinck videlicet et Baerle amplificavit et promovit agros addendo, arbores inserendo, ut personaliter singulis annis cum aliquibus fratribus ibidem laboraret. In Nydelinck pro ovibus nutriendis tria ovilia cum debito egressu pro pastu ordinavit. Similiter in Baerle fecit, quia istae grangiae tamquam irriguum superius et inferius monasterio summe utiles sunt.

Nam Baerle tam ex se quam ex iure et proprietate accidentali monasterio multum fructuosa esse et utiliter deservire videtur. Est enim monasterio vicina, a fratribus familiaribus devote et disciplinate commanentibus pacifice possessa. Ibi in benedictione Domini sunt pecorum stabula, caprarum greges, iuga bovium, saltus equorum, campi et agri, silvarum ligna. Revera quasi regio circa Jordanem alendis pecoribus fertilis et apta et nemus adiacens aquarum inundatione ipsi monasterio bonus, tutus ac necessarius est recursus, guerrarum quoque tempore quasi urbs refugii et murus securitatis est. Et quia haec grangia ex alta Dei providentia sine omni petitione vel emptione aut humana procuracione monasterii usibus quasi gratuito munere addita est, idcirco, si divinae ordinationis et humanae utilitatis linea fuerit inspecta, non videtur omnino consultum ipsam a monasterio levi occasione, ut quidam aliquando putaverunt, ullatenus sequestrare.

Sed et alia praedia, curtes et bona mobilia et immobilia monasterio sub eodem accreverunt. *Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex aedificatio et excelsa parietis templi*¹⁾. Nam ipsius ecclesiae lapideae prima fundamenta ipse posuit, quae novem annis, quamvis post mortem eius cum ingenti proventu consummata est in tantum, ut post consummationem conventus esset ditior quam ante inceptionem.

Sed et *in diebus huius patris emanaverunt putei aquarum*²⁾, quandoquidem non solum exteriora sollicitè procuravit, verum etiam divinum cultum summopere promovit et libros tam chorales quam doctrinales providit. Nempe post missalia et lectionaria sollempnia et alios chorales libros, etiam pro refectorio bibliam elegantem fecit inscribi, quaedam proinde sanctorum originalia, praecipue sancti patris Augustini, quem prae ceteris caro vene-

¹⁾ *Ecclestastic. 50, 2.*

²⁾ *Ecclestastic. 50, 3.*

rabatur affectu, libros de civitate Dei, tres quingenas super psalterium, sermones de verbis Domini, super Johannem cum multis aliis.

Curavit etiam gentem suam et liberavit eam a perditione¹⁾, quando virtutes ac virtuosos paterne fovebat, defectus vero ac vitiosos districte exterminabat.

De eius strenuitate in corripiendo cap. 47.

Et ut de illius zelo pauca tangantur, primo regiminis ipsius anno²⁾ conversus eius Arnoldus de Velua a capitulo vel amicis capituli in Datiam missus est. Iste cum rediret, de pecuniis ad sumptum sibi datis sine licentia nigrum coemerat caputium. Sed pater de proprietatis vitio impatiens ipsum tamquam proprietarium ponere voluit ad poenitentiam. Aliquantulum tamen illi condescendens fecit eum ad tempus disciplinari per integrum miserere conventu astante et legente supprore vero verberante. Et quod plus est, sedere eum fecit in refectorio et ad terram comedere et ad cuiuslibet ferculi positionem dicere: „Inspicite me, ego sum proprietarius.“ Haec alta mente reponantur, ut non quilibet rapere et congregare ad libitum permittantur, sed proprietas radicitus evellatur.

Sic³⁾ fratrem Conrardum sacristam ad chori testudinem in divinis inspicientem malleo suo signum faciens, ut omnes in eum respicerent, nutu digiti ad se vocans alapam illi dedit dicens, ut ante se intenderet et oculos circumgirare cessaret.

Et sic in similibus facere solitus fuit. Non enim permisit, ut fratres aut oculis vagis aut incompositis moribus essent. Sic in refectorio cum aliquem attenderet hinc inde respicientem, protinus asinum ante ipsum deponi in signum transgressionis mandavit, et ita frater ille contractis ad se oculis non sine notabili erubescencia diligentius se custodivit. Signum enim thau⁴⁾ ad pedis longitudinem de ligno factum haec verba:

¹⁾ *Ecclesiastic. 50, 4.*

²⁾ *1415.*

³⁾ *Busch, S. 184.*

⁴⁾ *Thau, der letzte Buchstabe des hebräischen Alphabets, hatte in der alten hebräischen Schrift die Form eines Kreuzes. Vgl. auch Job 31, 35. In Bodeken wurde 1437 die Einführung derselben Einrichtung beschlossen: Item in colloquio conclusum est, quod in finem humilis exercitii ac morum compositionem signum thau in refectorio habeatur (Schmitz-Kallenberg, Monumenta Budicensia, 7. 1, Münster 1915, S. 67).*

„Custodi oculos“ in magna textura ligno transverso habens infrascriptum [!] asinum vocavit, per quem fratres in refectorio sub verecundia et disciplina teruit.

Eodem zelo Matthaeum de Grabbo conventus Wysmariensis ordinis praedicatorum, lectorem in Gronynghen, contra devotorum nostrorum congregationes sine votis substantialibus Domino servientes scriptitantem ac dogmatizantem iuridice invasit, detexit, fugere compulit, extirpavit¹⁾. Qui in concilio Constantiensi carceri mancipatus non evasisset nisi ad ignem, si errores temerarios non revocasset²⁾, qui iam in ipso concilio damnati a patribus congregationum devotorum registrati sunt cum veritatibus oppositis et longe lateque divulgati.

De humanitate illius ad hospites cap. 48.

Fama igitur tantae devotionis, novitatis ac fervoris per terras undique respersa quamplures saepe canonicos, presbyteros, vasallos et plebeios ad praefatum monasterium traxit invisendum. Quos pius pater caritate plenus inter verba iocundae resalutationis obviis manibus, hilari vultu cordialique affectu in amplexus ruens benigne susceperit, humane pertractavit et a bunde satis iuxta suae paupertatis facultatem refecit. Hospitalitatem enim non in deliciis mundi huius, sed in vera caritate ac simplicitate religiosa, sicut de beato Silvestro legitur, exercuit. Ex his enim, quae in domo sua habuit, hospitibus hilariter administravit non quidquam singulariter ab extra emendo nec delicata vel saecularem Aegypti farinam virtutibus praeponendo, quae apud tales viros virtutum minime sunt reperta, quandoquidem ipse cum suis carnibus rancidis ac fumatis et pane grosso bene contentus fuit. Sed nec his fraternae caritatis officiis contentus etiam dominicum praeceptum de pedum lotione indefessus implevit divitibus, pauperibus, potentibus hanc sedulitatem impendens. Et si

¹⁾ Über Grabow und seinen Prozeß vgl. die ausführliche Erzählung von Busch S. 172 ff. und H. Keussen, *Der Dominikaner Matthäus Grabow und die Brüder vom gemeinsamen Leben*, in: *Mitteilungen aus dem Stadtarchiv von Köln*, Heft 13 (1887) S. 29 ff.

²⁾ Hier wird also berichtet, daß Grabow widerrief, im Einklang mit Busch S. 174 und Dier S. 63. Das Kölner Gedächtnisbuch (*Annalen des hist. Ver. f. d. Niederrhein* 103, 6) sagt, daß er nach der Abschwörung zu ewigem Kerker verurteilt worden sei.

forte recusarent, ipse auctoritatis mole, placabili sermone, Christi exemplo et praecepto illos acquiescere efficaciter induxit, et ipsi tales vicariam reddere caritatem cupientes perpetuos se monasterii amicos, fautores, promotores et defensores sponderunt. Pro his officiis etiam media nocte venerabilibus hospitibus exhibendis somnium frangere et surgere non recusavit.

Per diem vero expletis divinis huiusmodi venerandos hospites per monasterium circumducens laborantiumque fratrum officinas ingressus vidit singulos ingenti studio laborantes et septem psalmos aut vigiliis aut horas beatae Mariae virginis aut alias orationes alta et intelligibili voce materna lingua devote percepit perorantes. Quos tamen pater venerabilis quasi aliquid negligenter egissent, saecularibus coram astantibus de industria saepe corripuit. Qui statim absque mora flexis genibus culpam suam confitebantur in genibus permanentes, donec a patre iussi cum osculo pavimenti exurgerent et ita de prioris mandato opera intermissa perficerent. Unde hospites valde aedificati Dominum Deum glorificabant, qui in diebus istis novissimis, denique in mundi finibus extremis antiquum Aegypti, Palaestinae ac Thebaidae monachorum fervorem et ordinis disciplinam in hoc nemoroso loco tam eleganter renovavit.

Sollemniores quoque hospites tam de religione quam de saeculo quandoque etiam ad conventum duxit et secum in refectorio comedere concessit, quatenus humilis et sanctae conversationis exemplo ad mundi contemptum ac virtutis amorem non tantum verbis, sed et exemplis et operibus aedificativis in veritate provocarentur videntes frequenter fratres se humiliare, venias petere, ore terram osculari et lectiones devote audire.

Quam ob rem totus undique Westphalicus orbis odore bono tam sanctae conversationis eorum non mediocriter recreatus frequenter eos invisere, mores et vitam inspicere et monita salutis aeternae pro suarum remedio animarum expetere sollicite curavit et Domino tam ferventer famulantibus de omni sua facultate largiter contribuere.

Cum vero patrem venerabilem, dilectum Deo et hominibus, in civitates, oppida, loca et domos hospitem suorum ac etiam eorum, qui eum ex fama tantum noverant, divertere contigisset, a cunctis sicut angelus Dei cum ingenti desiderio et gaudio fuit susceptus, benigne pertractatus, libenter auditus et in omni sua petitione pro pauperum ac tribulatorum consolatione gratiose exauditus.

Magnam enim a Deo gratiam sibi datam reputabant, quod digni habitifuerant, ut tanti nominis et virtutis praelatus ad eos dignatus sit declinasse. Unde ipsum quasi terrae suae apostolum in suas singuli domos cum gaudio suscipientes in eius praesentia valde condelectati communem omnium suorum patrem ipsum appellabant.

Praelatis etiam ecclesiasticis, prioribus ac conventibus aliorum ordinum religiosam vitam ducentibus valde carus fuit et acceptus et beatos se reputabant, si ipsum et fratres eius suscipere et in eorum possent amicitia copulari.

Cunctis enim bonis, religiosis et devotis murus fuit inexpugnabilis et imperterritus atque in omnibus eorum tribulationibus auxiliator et protector irrefragabilis, sicut plurimi eorum in diversis causis frequenter sunt experti. Malis autem et Deum non timentibus durus fuit adversarius, gravis expugnator et timor irremediabilis. Boni ut patrem cordialiter eum diligebant, malis vero, et militaribus et oppidanis, formidini fuit et timori.

Patrem¹⁾ quoque suum carnalem vasallum a mundi vanitate ad Dominum convertit, qui suum fortalitium deseruit et Deo in cruciferorum monasterio circa Osnaburgis²⁾ servivit.

De illius in pauperes misericordia cap. 49.

Fuit etiam pater iste et clemens et misericors et munificus in omnes utriusque sexus religiosos et devotos pauperes et mendicos et prae omnibus, quos novimus vel vidimus, manus ad dandum semper habens apertas. Neminem unquam indigentem, cuiuscumque conditionis extiterat, sine consolatione dimisit, nunc pecuniam, nunc vestimenta, nunc alimenta ministrans. Sed quia ipse fecit, quod Dominus iussit: *Date*, implevit et Dominus, quod promisit: *Et dabitur vobis*³⁾. Quanto enim magis dabat, tanto ultro centuplum ipsi retribuebatur et mirabili modo dando ditiescebat et erogando in cunctis bonis crescebat. Unde factum est, ut monasterium suum in temporalibus semper proficeret, sed et in spiritualibus et in exercitiis humilibus, in caritate et disciplina regulari sanctae religionis incrementa reciperet.

Pergens aliquando cum hospitalario suo, fratre Wilhelmo converso, pauper quidam religiosus sacerdos ipsis occurrit eleemosynam deprecans. Cuius inopiam pius pater perpendens florenum Rhenensem aureum illi tribuit. Quem pauper accipiens valde exhilaratus recessit. Tunc ad fratrem Wilhelmum prior dixit: „Cor meum michi contestatur, quod pro isto unico

¹⁾ Diese Stelle ist aus einem späteren Kapitel bei Busch (S. 184) entnommen.

²⁾ Gemeint ist Osterberg (Kreis Tecklenburg), das seit 1427 Kreuzherrenkloster war (Schmitz-Kallenberg, *Monasticon Westfaliae*, Münster 1909, S. 63).

³⁾ Luc. 6, 38.

floreno centum nobis Deus restituet." Quod utique factum est. Nam decanus veteris ecclesiae Monasteriensis et alii quidam boni homines in eadem via circa centum florenos Rhenenses illi pro suo monasterio dederunt.

Ad ipsum pauper quidam sacerdos aliquando accessit, qui refectioe peracta etiam eleemosynam poposcit. Ille parumper deliberans viginti quatuor solidos eidem dare decrevit, sed accedens sedecim tantum contulit. Quo facto mulier quaedam ante monasterii fores stare denuntiatur, quae priori loqui desideraret. Quae ad priorem dixit: „Pater, ecce viginti quatuor florenos Rhenenses affero, de quibus vos sedecim retineatis, sed alios octo ad talem locum“ — ipsum nominando — „destinetis. Orate pro me.“ Qui verbum complens mulieris fratribus dixit: „Si omnes illos viginti quatuor solidos pauperi dedissem, scio pro certo, quod omnes illos viginti quatuor florenos pro nobis retinuissem.“

In generali capitulo pauper quidam nobilis¹⁾ ad portam Wyndesem venit obnixae satis efflagitans patres, ut ab eis eleemosynam acciperet. Cuius servitor cum circuiret et ad cellam prioris de Noirthorn post alios venisset et pauperis negotium intimasset, pater cuidam priori astanti ait: „Ad nostram bursam, quae circa lectum pendet, eatis et pauperi eleemosynam porrigatis.“ Ille paucis demptis denariis pauperi illos dedit. Sed pater audiens, quia parum dederit, continuo respondit: „Non audetis de aliena bursa satis accipere, quid ex propria daretis?“ Ipsemet ergo in bursam manum misit et sine numero denarios acceptos pauperi supererogavit. Sed quid? Ecce, paulo post alius quidam ad portam veniens priorem de Noirthorn vocavit et quaesivit. Quem inter priores reperiens certam ei pecuniarum summam dedit dicens: „Mi patre carissime, cum fratribus vestris orate pro me.“ Tunc prior astantibus dixit: „Si et vos pro Deo libenter daretis, utique et vos ab ipso reciperetis duplicia ac maiora.“

Denique in eleemosynis dandis tam liberalis et promptus fuit, ut, cum pecuniam non haberet et egentes nudos seu discalciatos videret, ipse sartoribus et sutoribus diceret, ut huiusmodi pauperibus nova erogarent. Qui si fortasse dissimularent, ipse pater, cum quo ab infantia crevit miseratio et super afflictos pia gestans viscera extrahens propria indumenta indigentibus elargiebatur. Haec et his similia et maiora pater pius saepissime fecit, quae, commemorare non oportet omnia²⁾).

¹⁾ Die Handschriften von Busch haben teils notabilis, teils nobilis.

²⁾ Busch schreibt (S. 172): quae memoriae nostrae cum haec scribimus, in forma non occurrunt.

De illius ad religiosos et ad reformandum devotione cap. 50.

Dum ergo his et huiusmodi virtutum studiis Domino cum fervore magno militaret, fama illius longe lateque diffusa est. Unde plurimi bonae voluntatis homines in saeculo potentes corde compuncti et divinitus inspirati ipsum ad monasteria antiqua reformanda et nova instituenda litteris suis ac verendariis missis in adiutorium requirere et expetere diligentissime coeperunt. Nam et personis humilibus et devotis exercitiis ipsum eius monasterium tunc abundabat. Sedecim enim de illa domo priores aut rectores domorum ordinis nostri cognovimus¹⁾.

Ipse vero ubique suam praesentiam ad huiusmodi negotia Dei honorem animarumque salutem aperte concernentia cunctis petentibus in locis etiam remotis libenter exhibuit sanoque favore, consiliis et auxiliis fideliter eis assistens bonam eorum voluntatem et sanctum propositum diligenter perduxit ad effectum. Ad Eurum enim et Nothum, Zephirum ac Subsolanum diversis in locis monasteria reformavit aut de novo instruxit ac fundavit, dum ad Vulturnum Saxoniam, ad Chorum Oestfrisiam, ad Africum ultra Coloniā cis Rhenum, ad Circinum Bethaniam²⁾ ordinis nostri coenobia propria in persona visitando perficeret.

Primus enim omnium in locis praefatis ordinis nostri et capituli refor-

¹⁾ Man wird diese Angabe nicht streng auf die Zeit von Loeders Priorat zu beschränken haben. Aus dem 15. Jahrhundert überhaupt werden weiterhin erwähnt: in *Albergen* Walram von Goestorp 1448—50, in *Bethanien* Hermann ten Zyl († 1432), Johann von Lüdinghausen († 1458), Joh. v. d. Grave († 1476), Johann Schüttorf († 1486), in *Bethlehem* in Zwolle Johann Wilde (gestorben als Kartäuser), in *Birket* Heinrich von Schöppingen († 1506), in *Böddeken* Arnold Hüls 1432—49, in *Bödingen* Arnold Hüls 1424—28, Berthold Kuer 1428—39, Wilhelm Keppel 1439—46, Otbert von Zwolle († 1483), in *Bronope* bei Kampen Florenz Homer († 1427), in *Dalheim* Wilhelm von Emmerich 1493—1513 (seit 1504 zugleich Prior in Frenswegen), in *Diepenveen* Walram von Goestorp († 1474) und Otto von Ottenstein († 1521), in *Ezingen* Arnold Hüls 1420—24, Arnold von Krefeld 1424—31, Arnold von Doesborch 1436, Rembert ter List 1436—1447, Johann von Bentheim († 1488) und Hermann von Delden, in *Langenhors* Albert Zweerte († 1467), Johann Kalkar († 1501), und Johann von Zwolle († 1515), in *Ludinkirka* Hermann Peynck († 1462), in *Richenberg* Joh. Clövekorn 1456—76, in *Segeberg* Johann von Lüdinghausen etwa 1443—1457, in *Wittenburg* Rembert ter List 1423—36.

²⁾ Bethanien bei Arnheim, Frauenkloster der Windesheimer Kongregation (*Acquoy* 3, 215 ff.). Daß es durch Loeder reformiert wurde, hatte offenbar zur Folge, daß die Beichtväter in der nächsten Zeit aus Frenswegen bezogen wurden.

mator et propugnator tunc extitit et ipse Ezinghen¹⁾, Wittenborch²⁾, Richenberch³⁾ et Bodingen⁴⁾ monasteria iam bene reformata capitulo nostro generali sollemniter incorporavit. In quibus multi Domino in vera paupertate, oboedientia et castitate et ceteris virtutum exercitiis ferventissime obsequuntur. Non enim suis unquam pepercit laboribus, non expensis, licet aliquando satis graves molestias pro huiusmodi pertulerit.

Quanto etiam zelo et caritate talium coenobiorum profectum sitiret, litterae illius, quas conventui in Bodingen direxit, ostendunt. Nam illos fratres de vanitate ac saecularibus desideriis increpat et de humilitate, patientia, paupertate et aliis efficaciter edocet cum hac salutatione: „Calidum Jesu Christi sanguinem pro nobis amabiliter currentem pro salute“ et cetera, quae in libro de illustrissimis viris Wyndesemensibus⁵⁾ longius extenduntur⁶⁾ cum exterminatione errorum Matthaei de Grabo⁷⁾ et aliis.

Eandem caritatem, assistentiam et fidelitatem omnibus devotis et tribulatis promptissime exhibuit, sicut in devotis congregationibus fratrum et sororum, quos in ius civile pertrahere, opprimere vel expellere cives conabantur, saepe ostendit eos efficaciter et fiducialiter iuvando ac defendendo.

Sic etiam ipse et conventus eius, cum dioecesim Traiectensem guerraee et tribulationes vastarent et plurimos suis e monasteriis fugere compellerent⁸⁾, venerabilem priorem Wilhelmum Vorncken et totum conventum de Wyndesem obviis manibus et corde magno et animo volenti benigne susceperunt, humane pertractaverunt et cuncta necessaria in victu et

¹⁾ *Marienkamp bei Esens in Ostfriesland (Acquoy 3, 82 ff.), bis 1420 Benediktinerinnenkloster, dann durch Loeder in ein Augustinerchorherrenstift umgewandelt. Vgl. Busch S. 358: Cuius legatio anno Domini etc. XX^o patri Henrico Loeder in Northorn priori a capitulo fuit commissa. Qui zelo fervens animarum Deo lucrandarum iter aggressus locum invenit spaciosum pro multitudine fratrum Deo servire cupientium satis aptum.*

²⁾ *Chorherrenstift im Bistum Hildesheim (Acquoy 3, 89 ff.). Ueber seine Reformation 1423 Busch S. 479 ff.: Commissum ergo fuit a generali capitulo priori in Northorn, patri Heynrico Loeder, ut illuc pergeret, et si dictum monasterium sibi videretur capitulo generali uniendum et fratres in hoc consentirent, quod illud tunc ipsum capitulo generali incorporaret. Quod et fecit de omnium voluntate et assensu.*

³⁾ *Chorherrenstift bei Goslar (Acquoy 3, 96 ff.). Ueber seine Reformation 1429 Busch S. 482 ff.: Patres et fratres de Northorn primo ibidem reformationem inceperunt et per plures annos eam continuaverunt.*

⁴⁾ *Chorherrenstift im Siebkreise (Acquoy 3, 85 ff.). Vgl. Busch S. 399 ff.*

⁵⁾ *Das ist der erste Teil von Buschs Chronicon Windeshemense.*

⁶⁾ *Der Brief ist vollständig mitgeteilt von Busch S. 176—179.*

⁷⁾ *Vgl. oben S. 94, Anm. 1.*

⁸⁾ *1429—1432 (Busch S. 183 f.).*

habitu gratiose ministraverunt, ita ut de dormitorio et cellis et aliis commodis suis exirent et tam caris hospitibus, omnium devotorum susceptoribus, libentissime loco cederent et ipsi duo et duo pariter ob loci angustiam in uno conclavi se sustinerent. Sic ergo longo tempore pariter commanentes in choro, refectorio, capitulo, dormitorio cum omni caritate, pia benevolentia et summa concordia magnum simul conventum perfecerunt, donec prior de Wyndesem locum in Bredewoert, nunc Nazareth¹⁾ appellatum, gratis donatum acciperet pro novo monasterio construendo, ad quem tunc fratres de Wyndesem iuxta illius exigentiam loci successive se transtulerunt.

Tanto denique caritatis zelo fervebat, ut pro Dei gloria et oppressorum defensione ac animarum salute mori non pertimeret²⁾. Contigit enim quendam vasallum, capitalem prioris inimicum, qui ei saepe comminatus fuerat, si ipsum posset unquam habere solum, statim vellet occidere, illi in sua carruca cum socio et auriga sedenti et per publicam viam in campo pergenti impetuose occurrere. Videns autem priorem ira³⁾ commotus infremuit dicens: „Hic modo vitam amittes et mortem, quam saepius tibi intentatus sum, incurres.“ Quo audito prior non perterritus, imo illato terrore constantior factus statim de carruca descendit et pectus suum denudans ait vasallo: „Si audes et praeuales, veni et interfice me. Ecce, paratus sum pro iustitia, quam contra te habeo, mortem suscipere.“ Illico tyrannus obstupuit et prioris constantiam videns animum mutavit et extunc in pace eum semper dimisit.

De gratiosa subditorum conversatione et male conversantium reprehensibilitate cap. 51.

Tanta ergo divinorum carismatum abundantia in illo Nemore beatae Mariae redundavit, ut fratres, et conversi, laici et familiares uno spiritu fervoris, simplicitatis, humilitatis et dilectionis omnes viderentur perfusi, quod rebus, verbis, moribus, indumentis habituque usque hodie ostendunt, ut viri et feminae spirituales et saeculares illorum mores intus et foris aspicientes plurimum aedificati ipsos esse de Noirthorn optime recognoscerent, quia veram virtutem in singulis et omnibus illorum videre, audire et imitari ubique potuerunt. Vestitu humili, grosso et simplici, sermone modesto ac aedificationis pleno, humili corde ac devoto, tamquam non de isto, sed de alio saeculo essent, omnes incedere con-

¹⁾ *Acquoy 3, 102 ff.*

²⁾ *Busch S. 174.*

³⁾ *Grube druckt ita.*

sueverunt. Cum enim fratres inter se aut cum saecularibus loquerentur, templa Dei et spiritus sancti organa se esse divinis et Deo plena rebus ostenderunt, verba valde ignita, dulcedine caritatis referta in medium proferentes, ut et verbo et exemplo cunctos aedificarent. Non enim in ventum sermonem proferre consueverunt, sed aut de animarum salute disseruerunt aut tacebant aut certe orationibus vel lectionibus vacabant.

Et ut in bonis permanerent et magis de virtute in virtutem quotidie proficerent, non omiserunt de quindena in quindenam capitulum servare, culpas fateri, venias et poenitentias facere, totiens insuper ad minus confiteri et in magnis sollemnitatibus communionem sacram percipere. Et certe non nisi in his et huiusmodi religionem fovere ac conservare possibile est.

Et ut singuli et omnes in bono evidentius ac certius proficerent, etiam ab initio consuetudo fuit, ut, quando fratres aliqui convenirent, mox de scripturis et virtutibus et moribus et extirpandis vitiis sermo et exhortatio fieret. Sic, ubi laico vel familiaribus appropinquaret aliquis, de laboribus et temptationibus consolabatur cum exhortatione patientiae et perseverantiae. Saeculares vero, sive presbyteros, sive laicos ad Dei timorem et mandatorum observantiam ac mundi contemptum vivacissime commonebant.

Unde multum admiranda, imo detestanda quorundam caecitas religiosorum, qui cum in magno fervore Domino servire coeperunt, rursus Domini timorem obliviscuntur et advertere nolunt, sed pristinum seponunt propositum, humilitatem abiciunt et iam aliquid esse et reputari ambiunt et studiose anhelant. Cordis puritatem ac simplicitatem non curant, sed saeculi rumores ac vanitatem corde et ore continuo versant et ad occupationes et ordinationes importune se ingerunt et Domino renitentes iugum Christi suave et onus leve sibi ipsis amarum faciunt et grave. Caritatem vel potius dilectionem ac familiaritatem pro suo tantum commodo vel solatio cum aliquibus tenent, reliquos spernunt et offendere non vitant non timentes percutere conscientiam eorum infirmam, pro quibus Christus mortuus est. Rancores et passiones acceptant et continuant in tantum, ut, si quis eis saepissime obtemperet et si semel non morem gerat, mox quasi priorum obliti longo tempore passionem nutriunt, seipsos magis quam alios consumentes et iam quasi cum inimicis austerius agunt et hoc faciunt fratribus. Et quid unquam stultius? Maxime in his, qui iam mundum contemnere et Christum sequi coeperunt. Et cum iam multa difficilia, vigilando, ieiunando, orando, laborando faciant, humilitatem, caritatem ac pietatem, quas minori labore,

sed maiori fructu servare possent, abiciunt et quibusdam ridiculis phantasiis et puerilibus vanitatibus bona sua commaculant, si tamen magis ea non perdunt. Et quamvis torvo vultu et asperis verbis rancorem non celent, ipsam tamen causam, quae interdum vix et forte sciri non potest, abscondunt. Quod totum diaboli cooperatione agitur, ne forte satisfactio, emendatio et concordia subsequatur. Et sic tamen ad confessionem accedunt et recedunt et ad divina procedunt, quasi gens, quae fecerit iustitiam. Sed ut quid confiteri volunt sine proposito emendationis. Aut cur divinis se ingerunt sacramentis sine officiis caritatis? Timeant, ne Christi sacramenta irridere magis quam venerari iudicentur. Si vere Christi servus esse velis ac dici, talem te exhibeas, ut in verbis aut facie aut gestis tuis, quod alicui adversus sis, advertat nullus. Nam et canes et bestiolae suos fautores vel aversores norunt. Rancorosus seipsum degenerat etiam et apud amicos dehonestat.

Sed talia pater iste venerabilis in se et suis fieri aequanimiter non permisit. Quid enim de sano capite et in bono alveario procederet nisi morum probitas et interna devotio ac suavitas? Ipse enim in sua cella residens seipsum saepissime recollegit ac discussit et sibi iratus contra se infremuit, quasi servus inutilis esset. Fratres autem suos extirpatis vitiis ad cordis veram compunctionem et internam animi devotionem verbis et factis studuit informare nec ea perfunctorie et nimium succincte, sed tractim et morose in spiritu et veritate docuit exercere. Sic divina cantare, sic missam celebrare non quasi ad offam, ut quidam indevoti, sed sicut ad panem angelorum, Dominum Deum, regem coelorum, creatorem, principium et finem omnium casto corpore et mundo corde quotidie parati conarentur accedere tamquam nihil amplius post missam facturi, nisi cum Deo in aeternum victuri.

Sic ergo quotidie in bonis proficiens ipse et aliqui de suis visionibus ac revelationibus recreati sunt. Nam beata virgo Maria illi apparuisse dicitur¹⁾ in veste sanguine respersa et significasse, quod quidam laicus saecularis nimirum et ad mundum reversurus mantellum illius commaculaverit, sicut infra dicetur²⁾.

Matthias etiam Clericus traditur³⁾ vidisse angelos funeri obsequium exhibentes, cum mater sororum circa monasterium commanentium⁴⁾

¹⁾ *Busch S. 181.*

²⁾ *Im 8. Kapitel des 2. Teiles.*

³⁾ *Busch S. 182.*

⁴⁾ *Vgl. S. 73 Anm. 2.*

sepulturae traderetur, audivisse etiam ipsam beatam virginem promittentem, quod monasterii perpetua esse vellet protectrix, quamdiu fratres ibidem in humilitate, vilitate ac simplicitate perdurarent.

De illius destitutione, probatione et morte cap. 52.

Accidit tandem circa postrema illius tempora suppriorem eius Arnoldum de Doesberch, virum sanctum ac modestum, Deo et hominibus gratum et acceptum a conventu in Ezingen¹⁾ in priorem eligi. Sed prior, conventus et dominus terrae per instantissimas preces apud priorem de Wyndesem sategerunt ipsam electionem cassari²⁾. Qui, quamvis ex parte invitus, tamen illorum postulationi annuit et eorundem conscientiae commisit. Quod tamen Deo displicuisse conicitur ex quibusdam indiciis. Nam eodem anno³⁾ procurator, frater Johannes de Stenvordia, vir bonus, activus et contemplativus, morte decessit, et supprior ipse parum graviter infirmatus vitam finivit, et prior ipse apoplexia tactus destitutus est. Quod utrum in illius resistantiae multationem an ad illorum purgationem vel ad coronationem factum sit, Dominus novit, nisi forte propter haec omnia simul contigerit⁴⁾.

Tunc infra unius curriculum anni quatuor Hinrici notabiles stivarii destituti sunt: pater Hinricus Loeder, Hinricus de Weteringe, pater in Albergen, qui sano corpore sponte et ex desiderio cessit⁵⁾, Hinricus de Megende, pater et fundator mona-

¹⁾ Vgl. S. 98 Anm. 1.

²⁾ Busch: eo, quod domus eorum tota destituta foret et desolata, si tali persona eis tam utili et necessaria sic subito privaretur.

³⁾ 1436. Er starb aber nach dem Nekrologium schon am 15. September 1435.

⁴⁾ Anders Busch S. 185, der darin wirklich die Strafe des Himmels sieht.

⁵⁾ Albergen zwischen Ootmarsum und Almelo im Bistum Utrecht (Acquoy 3, 126 ff.), anfangs Brüderhaus vom gemeinsamen Leben. Heinrich Weter oder ter Wetering aus der Grafschaft Mark, der in Zwolle die Schule besucht und später dort Mitglied des Brüderhauses gewesen war, wurde 1406 der erste Rektor und resignierte 1436 (wenigstens kommt sein Nachfolger Goedert Scherpijn 1437 vor), starb aber erst am 22. Februar 1466. Eine ausführliche Aufzeichnung über seine Persönlichkeit in: Albergensia, Stukken betr. het Klooster Albergen, Zwolle 1878, S. 3—17; dazu die Einleitung S. V f. Vgl. auch Acquoy a. a. O.

sterii virginum in Venloe¹⁾, et pater Hinricus de Ahues²⁾, primus pater fratrum Monasterii ad fontem salientem³⁾, qui prius dicitus fuit Hinricus de Scopingem, quia mater eius⁴⁾ inde extitit et ipse ibidem natus filius naturalis domicelli Ludolphi, filii nobilis domini Hermannii de Ahues⁵⁾. Iste fuit etiam magnus reformator et illustrator Westphaliae. Ipse enim Oesterbergam de congregatione clericorum in monasterium cruciferorum promovit⁶⁾, Wydenbach Coloniae fundavit⁷⁾, in Westphalia Borcken⁸⁾, Coestveldia⁹⁾, Lippia¹⁰⁾ domos sororum instituit et in Osnaburgis domum clericorum diu tenuit¹¹⁾. Et si in potestate ordinaria habuisset, in quolibet oppido per dioeceses Monasteriensem et Osnaburgensem congregationes devotorum clericorum vel feminarum instituisset¹²⁾, sicut ipsemet fatebatur, quamvis tamen ipse cum suis multas et quasi inenarrabiles resistentias, tribulationes, persecutiones et quodammodo coniurationes a cuncto clero et populo ipsum cum suis exterminare cupientibus sustinuisset.

¹⁾ 1413 nahmen die Beginen in Venlo die Augustinerregel an. Das Haus hieß Marienweide (J. Knippenberg, *Historia ecclesiastica ducatus Geldriae, Bruxelis 1719, S. 115* und L. J. E. Keuller, *Geschiedenis en beschrijving van Venloo, Venloo 1843, S. 359*). Megende (Menghede) wird hier nicht genannt.

²⁾ Daß auch Heinrich von Ahaus vor seinem Tode (1439) sein Amt niedergelegt habe, ist weder sonst überliefert noch glaubhaft. Die Angaben des Gedächtnisbuches des münsterischen Fraterhauses (*Zeitschrift f. vaterländ. Geschichte Bd. 6 S. 91*) besagen das Gegenteil. Auch ist in den Protokollen des münsterischen Kolloquiums (bei Doeberner, *Annalen und Akten der Brüder vom gemeinsamen Leben im Lichtenhofe zu Hildesheim, Quellen und Darstellungen zur Geschichte Niedersachsens Bd. 9*) S. 258 verzeichnet, daß Heinrich v. Wernen erst nach seinem Tode sein Nachfolger wurde.

³⁾ Das münsterische Fraterhaus wurde 1401 gegründet. Vgl. meinen oben S. 89 Anm. 2 genannten Aufsatz und die übrige dort genannte Literatur.

⁴⁾ Hadewigis.

⁵⁾ Ludolf war in rechtmäßiger Ehe mit Johanna v. Lingen vermählt, die ihm aber nur drei Töchter schenkte (Löffler S. 766).

⁶⁾ Das Brüderhaus Osterberg bei Osnabrück (vgl. auch oben S. 96 Anm. 2) wurde 1410 gegründet, 1427 in ein Kreuzherrenkloster verwandelt. Vgl. Löffler S. 782, Barnikol S. 46 ff.

⁷⁾ Gegründet 1416 oder 1417 (ebd. S. 778 bzw. S. 42 ff.) und mein Aufsatz in den *Annalen d. hist. Ver. f. d. Niederrhein 102, 99 ff.*

⁸⁾ Als Mitbegründer des Borkener Schwesternhauses Marienbrink, dessen Gründungsjahr bisher unbekannt ist, wird auch Loeder bezeichnet (Löffler S. 783).

⁹⁾ Ebenfalls Marienbrink genannt, gegründet 1425 (ebd.).

¹⁰⁾ St. Annä Rosengarten, gegründet 1435 (ebd. und Kl. Laumanns in der *Zeitschrift f. vaterl. Gesch. 81, 2 (1923) S. 7*).

¹¹⁾ Das von Heinrich Engeter gegründete Osnabrücker Haus hat bis etwa 1430 bestanden; 1431 war es nicht mehr vorhanden. Vgl. Barnikol S. 56 ff.; die Angaben von Löffler S. 782 sind irrig. Die Osnabrücker Brüder gingen nach Herford (ebd. S. 63 ff. und S. 201).

¹²⁾ Ganz erschöpft ist auch Heinrichs Tätigkeit mit obigen Angaben nicht, vgl. die neueste Würdigung von Barnikol.

Sic pater Hinricus Loeder quasi totius Westphaliae, Saxoniae ac Frisiae apostolus quodammodo fuit, qui in hoc monasterio virginis singulari dispensatione praefuisse creditur, quod, sicut in visione per beatam Mariam, sanctum Paulum et Augustinum supra ostenditur, ad hoc institutum est, ut sit principale caput et refugium omnium devotarum congregationum utriusque sexus in Westphalia et ceteris locis. Et ideo valde errant et Deo displicent, qui in contrarium sentiunt et nituntur, illud impedire seipsum amantes et zelum animarum non habentes, cum teste beato Gregorio nihil ita Deo placeat *sicut zelus animarum*¹⁾, et omnium sanctorum labor ad hoc praecipue referri debeat, ut honor Dei fiat et salus hominum. Ad hoc enim filius Dei in mundum descendit et sanguinem suum fudit et mortem suscepit.

Hunc zelum iste venerabilis pater usque ad vitae suae finem ferventer exercuit. Sed ut fructum plus afferret, purgatus est adhuc. Nam infirmitate tactus officium cis viginti annis sollicitè exhibitum resignavit et *vi a p o p l e x i a e* loquelam paulatim et incensum perdidit, *m e n t e* tamen et *r a t i o n e b e n e c o m p o s.* Sic ergo usque in tertium annum limatus et purgatus est. Post multa virtutum insignia sacramentis Christi munitus coram positis fratribus et orantibus Christo spiritum tradens obdormivit in pace anno gratiae millesimo quadringentesimo tricesimo nono ipso die Margarethae²⁾, virginis et martyris, sepultus in ambitu monasterii sub magno lapide cum insigni epitaphio. Et sicut anno destitutionis ipsius alii notabiles sunt destituti, sic et anno obitus eius plures stivarii notabiles et reformatores obierunt, scilicet venerabilis pater et abbas Johannes Dederode³⁾, statura parvus, sapientia et efficacia magnus, trium monasteriorum reformator, scilicet Clusae, Bursveldiae et Revehusen⁴⁾, et Hinricus de Ahues praedictus⁵⁾ et Hinricus de Brabantia, de quo supra dictum est⁶⁾.

¹⁾ In IV. psalm. poen. 17.

²⁾ 13. Juli (nicht 20., wie J o s t e s S. 31 angibt). Vgl. auch das Nekr.

³⁾ Er starb am 6. Februar 1439 (Allgemeine Deutsche Biographie 14, 11—67 f.).

⁴⁾ So in der Handschrift. Gemeint ist Reinhausen bei Göttingen.

⁵⁾ Er starb am 14. Februar 1439 (nach dem Gedächtnisbuche des Kölner Fraterhauses: Annalen des hist. Ver. f. d. Niederrhein 103, 13).

⁶⁾ S. 77 ff.

De fratre Arnolde de Doesborch suppiore cap. 53.

Praedicti patris supprior ille piae recordationis Arnoldus Doesborch extitit, cuius memoria merito in benedictione est, quia dilectus Deo et hominibus fuit, qui non tantum sine querela, sed et cum suavi gratia conversabatur. Sed hoc non sine conatu et labore magno. Nam vix manere potuit, cum advenisset. Sed cum uni de coquis gravis supervenisset infirmitas, Arnoldus ad coquinam positus est, ubi tam obsequiose et humiliter conversatus est, ut in sui favorem cunctos alliceret. Sed quia dicitur proverbiorum vicesimo: „*Ex studiis suis intelligitur*“¹⁾, eius propositum et diligentiam, ut legentes imitari possint, paucis commemorare necesse est. Cum ergo in annuntiatione beatae Mariae investitus esset²⁾, ad mortificationem et profectum se recollegit hoc modo^{a)}.

*Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*³⁾. Ex his ille sic decrevit: Ad hoc per Dei gratiam et meritum gloriosae virginis me exercebo interius et talem me pro posse exhibebo exterius in omni conversatione mea, ut omnes affectiones meae, cogitationes, sentire, sapere, verba, motus, gestus et omnes mores modestiam et mansuetudinem et piam humilitatem ardentem diligere et vehementer zelare comprobentur.

„*Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, qui est Christus Jesus*“⁴⁾. Hoc ergo erit fundamentum omnis profectus mei oculo interioris hominis semper respicere verba, doctrinam, mores et actus singulos mitis et humillimi salvatoris mei et pro infirmis viribus meis huiusmodi me conformare.

Ne transgrediaris terminos [antiquos]b), quos posuerunt patres tui⁵⁾. Ante omnia denique regulam et statuta nostra cum magno fervore et diligentia conabor observare, ne minima quidem

a) Die Abschnitte der folgenden Aufzeichnung sind am Rande mit „Proposita“ bezeichnet.

b) Fehlt in den Handschriften.

¹⁾ Prov. 20, 11.

²⁾ 1415 (Kap. 66).

³⁾ Matth. 11, 29.

⁴⁾ 1. Cor. 3, 11.

⁵⁾ Prov. 22, 28.

scienter et voluntarie transgrediar absque grandi conscientiae scrupulo, praesertim ea, quae sunt convenienter observabilia.

*Milia milium ministrabant ei et decies milies centena milia assistebant ei*¹⁾). De gratia Dei, qui me vocavit in admirabile lumen suum, ad hoc deinceps conabor, ut toto corde, alacri corpore ac totis viribus, non mihi parcens, non pigritiae indulgens, stando vel psallendo divinis intersim laudibus. Alienas cogitationes et impertinentes, etiam quantumcumque utiles vel devotas illa dumtaxat hora penitus non admittam, quia spiritus sanctus nihil acceptat neglecto eo, quod debemus.

*Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuae. Gaudens gaudebo in Domino*²⁾). Psallam Deo meo, quamdiu fuero, pro eo, quod me indignum et immeritum ex multis milibus unum elegit, affectum sibi serviendi tribuit, virium quoque competentiam providit, et ut possim et velim et iam libentissime velim. Heu, quod tamdiu distuli! Summa igitur alacritate, benevolentia et gratitudine mediis noctibus surgam suscitatus absque ulla mora affectuosissime laudans et benedicens Deum in saecula gloriosum et gratias agens illi pro universis miserationibus eius, quas mecum ab infantia mea usque ad illam horam magnifice fecit. Et paternum eius respectum super me infirmum servulum suum deinceps die humiliter implorabo.

*Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum*³⁾). Postquam igitur surrexero coram Domino cor meum devotissime effundam et totus totum me illi offeram illo die et omnibus diebus vitae meae in famulum sempiternum orando, desiderando, aspirando et meditando de beneficiis ac magnalibus eius, quae mihi et universo generi humano in illa hora et in omne tempus fecit.

*Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*⁴⁾). Ante matutinalem horam praecipue et ante quamlibet diurnam cum Dei adiutorio laborabo, ut sim competenter recollectus et a phantasiis et distractionibus expeditus, ut tota mansuetudine et humilitate cum compositione hominis mei interioris et exterioris possim accedere et introire in domum Domini tamquam sponsa de thalamo suo et in praesentia divinae

¹⁾ Dan. 7, 10.

²⁾ Psalm. 118, 62.

³⁾ Js. 61, 10.

⁴⁾ Thren. 2, 19.

⁵⁾ Psalm, 5, 8.

maiestatis reverenter et alacriter astare cum serena conscientia ac puro et immaculato corde et corpore.

*Praevenerunt principes convincti psallentibus, in medio iuven-
cularum tympanistiarum*¹⁾). Quia sancti angeli nostris valde
delectantur interesse sollempniis, ne ipsi per nostram inertiam
contristentur et ne praecipue angelorum Dominus offendatur,
per Dei gratiam ad hoc me assuefaciam, ut alacri corde et voce
suis divinis intersim laudibus et tantae maiestati reverenter as-
sistam absque reclamatione et quacumque indisciplina inquieti-
tudine cum custoditis oculis ac decenter coniunctis manibus et
pedibus, cum devotis inclinationibus et supplicationibus cumque
omni reverentia ac decentia corporali et spirituali, ut omnino dig-
num est venerationi tantae praesentiae maiestatis ac dominici cor-
poris.

*Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Domi-
nus*²⁾). Ex quo non possum esse bonus odor Christi in omni
loco, volo tamen niti per gratiam eius totis viribus meis, ne fra-
tribus meis praestem materiam mali odoris. Cavebo igitur, ne
eos contristem duris, obliquis, burdosis vel iocosis verbis, sed in
omni humilitate et mansuetudine illis serviam et ostendam me
omnium eorum novissimum ac vilissimum, sicut et in veritate
sum. Et quantum ad me pertinet, talem me exhibere studeam,
sicut de sancto Silvestro legitur. Erat enim tranquillo semper
animo et sereno, ita omnes clericos diligens quasi filios. Et
sicut gallina pullos suos evocat, ita hic circa universos amorem
suum ostendens omni hora monitis coelestibus illos erudiebat.

Haec pauca de piis illius exercitiis indiculum sentimentorum
illius notificant eumque in exemplum praeficiunt universis. Nam
ista cum ingenti discretionem et attentionem decrevit ac proposuit et
cum magno fervore quotidie in his se morose examinavit, exer-
citavit ac profecit in tantum, ut cunctis fieret gratissimus. Mul-
tum namque verecundus, humilis et modestus extitit.

Cum vero iam in die assumptionis Mariae missam cantasset
et laicis ad mensam ministrasset collationem facturus, non est
permissus, quia iam elanguescere videbatur. Prior enim tunc
monasteria per Wesaliam, Coloniam, Coestveldiam visitavit per-
sonas devotas utriusque sexus valedicens eis tamquam in pro-
ximo circa purificationem Mariae resignaturus, sicut cum priore

¹⁾ Psalm. 67, 26.

²⁾ Gen. 27, 27.

de Wyndesem convenerat. Attamen et ipse prius defecit. Et sicut supprior in assumptione, sic prior in conceptione Mariae ultimam missam cantavit uno et eodem anno, quo et ecclesia coepta fuit¹⁾. In superiore denique colica passio et diabetica, ut physici aiunt, invaluit et eum usque ad extrema perduxit.

Vir iste etiam revelationibus glorificari visus est. Nam et in fine infirmitatis strato decubans minisstranti illi laico, scilicet Hinrico de Daventria occulta de illo revelavit, praeterita, praesentia et futura. Ait namque: „Scio, quia multa et gravia tolerasti certamina et iam in bono statu consistis. Sed adhuc unum durius ac molestius tibi bellum ingruit. Si tunc viriliter et fortiter egeris, scito, eris securus et non commoveberis in aeternum.“ Ille laicus postmodum inconstantia temptatus et victus decessit.

Sed insuper circa extrema supprior dixisse fertur, quod ante illud tempus nullus ad infernum descenderit ex hoc monasterio nec ex illo facile quisquam damnabitur. Quod cum stupori esset astantibus, ille sana se mente loqui respondit et bene scire, quid diceret. Hoc utique gratissimum est et cum praedicta visione, ubi magna processio e monasterio isto ad coelum conscendere videbatur²⁾, et iterum, ubi Maria assistentiam suam et filii loco promisit³⁾, concordat.

Et istae promissiones quam sint multis acceptabiles, in ipso fratre Johanne Clovecorn patuit. Ille cum pluribus annis prioratus officio in Richenberch functus esset⁴⁾, tandem superveniente senio cum magna instantia, desiderio et petitionibus obtinens officio cessit et ad Nemus Mariae, unde assumptus fuerat, cum exultatione rediit. Existimabat enim felicior se fore, si in suo monasterio, tantis benedictionibus et promissionibus privilegiato mori posset. Et plane desiderium animae eius tribuit illi Dominus.

Supprior ergo ipso die Bartholomaei⁵⁾ apostoli carum Deo spiritum reddidit cunctis dolentibus et flentibus cum planctu magno.

1) 1436.

2) S. 43.

3) S. 24.

4) 1456—1476 (*Busch* S. 484 und oben S. 98 Anm. 1).

5) 24. August 1436. *Vgl. auch das Nehr.*

**Fratris Petri Yegher temptatio periculosa,
sed gratiosior consolatio.**

Cap. 54.

Fratris Petri Yegher miraculosa confirmatio praetermittenda non videtur. Cum enim bonae indolis ac spei iuvenis appareret, ad probationem habitu regularium indutus est¹⁾. Quo tamen tempore tantis tribulationibus et angustiis et continua temptatione laboravit, ut cordis et corporis in eo quotidie deficiente vigore mortuo simillimus appareret. Quapropter gravedinum immensitate fatigatus desperationis barathro fere absorptus de proposito sui firmitate paene deciderat.

Sed professionis die tandem appropinquante in festo purificationis gloriosae virginis Mariae anxietate nimia contristatus quadam vice nacta temporis opportunitate secretum locum adiit et coram amatricis et amatae suae imagine solo tenus se prosteruens, ipsam obnixis precibus, quatenus eius misereretur, humillime precabatur, ut solitum pietatis ac miserationis gremium etiam illi expandens de tantis internorum pressuris eum erueret. Mira res! Ecce, ipsa mater misericordiae promptissima semper miseris oratione completa eidem mox affuit omni auxilio undique destituto et ab universa eum gravedine relevans pristinae repente sospitati restituit. Cordi insuper illius ingentem suae dulcedinis abundantiam infundens adeo paratum, hilarem et tranquillum reddidit, ut ob novae devotionis quantitatem oblivioni traderetur cuncta retrohabita tribulatio nec non moeroris magnitudinem immensa supernae gratiae magnitudo sedaret.

Et ipse ergo ab illo die in beatissimae virginis amore in tantum profecit, ut ipsa veluti ignis ardens in illius corde fieret et tanti vim incendii sufferre non valens saepe deficeret. Tali itaque amoris flamma iuvenis accensus nequaquam huiusmodi gratiam sibi praestitam otiose celavit. Sed canoram²⁾ prorupit et in vocem exultationis et confessionis iubilum subsequentem ad praedulcissimae suae patronae laudem, prout in die professionis ei divinitus inspiratum fuerat, devote dictavit, conscripsit et complevit, gratulabunda dicens voce.

¹⁾ 2. Februar 1423 (Kap. 66).

²⁾ Schreibfehler für canorem?

Jubilus.

Haec est dies, quam fecit Dominus; exultemus et laetemur in ea¹⁾.

Illuxit modo dies festa,
adventum cuius saepe maesta
cupivi per suspiria.

Revera dies gloriosa
dans praestolanti copiosa
salutis novae gaudia.

O dies nimium beata,
quam vehementer es optata.
Iamque venisti prospere.

Amplector sinu te iocundo,
in qua fulciri me secundo
agnelli spero vellere.

Venire satis distulisti,
sed nunc amanti nituisti
ad instar novi sideris.

Salutem portas, quam affecto,
dilectum iungens praedilecto
per rati vota foederis.

Tu finem vero das laboris,
per te largitur sanctioris
in signum vitae bravium.

Corrupta sanas vitiorum,
ingentem praestas gaudiorum
materiam salubrium.

Mens mea, te devote para,
ut omnis naevi sis ignara
teporis et inertiae.

Polire, vire, renovare,
de ceno sursum elevare,
nam dies est laetitiae.

¹⁾ *Psalm. 117, 24.*

Exulta, plaude, dilatate,
istius lucem speculari
diei limpidissimam.

Consurge, simul iubilemus,
condignis diem celebremus
hanc laudibus gratissimam.

Cur mones, aita), me gaudere,
quem neci ferme subdidere
angustiae diutinae?

Quaenam est dies ista sancta,
in qua resultas laude tanta
quove censetur nomine?

Haec dies plena gaudiorum,
quam reparator saeculorum
stupendo dedit ordine.

Haec dies exultationis
immensis me ditavit bonis,
per te, mi Jesu Domine!

O nobilem festivitatem,
qua mundi sprete vanitatem
et coepi Deum colere.

Et meam spem in Jesum fixi,
o fili Dei, sine, dixi,
me rite te diligere.

En, tibi deinceps haerere,
parere quidem et habere
in Deum te devoveo.

Sincera quoque me do mente,
accepta pie, dans repente
tuorum iugi cuneo et cetera.

Et complevit hunc iubilum septem capitulis et versibus quadringentis quinquaginta sex et alium iubilum in b) septuaginta quatuor¹⁾.

a) *Fehlt in der Chronik, steht aber im Anhang.*
b) *Hier fehlt offenbar: trecentis.*

¹⁾ *Dieser zweite Jubilus behandelt die kanonischen Tagzeiten („ad septem horas canonicas“). Beide sind vollständig in der Handschrift unserer Chronik angehängt.*

Cum itaque Mariae et filio eius modico tempore cum fervore deservisset, in diaconatu debitum carnis solvens raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius¹⁾.

De patre Walramo cap. 55.

Patri Hinrico Loeder in prioratu frater Walramus²⁾ successit omnium voce, una dumtaxat excepta, ex officio procuratoris electus. Qui cum esset baccalaureus Coloniensis³⁾, ad virtutum exercitia strenue se dedit et postmodum in pluribus officiis probatus. Cum vidisset in prioratus officio pacem et quietem sibi deturbari, cedendum utilius censuit ac resignavit⁴⁾. Sed mox in suppriorum electus est.

Tandem in Albergen, cum regularium ordinem acceptassent, rector primus factus est⁵⁾. Sed cum iterum ad conventum redisset, in monasterio regularissarum Depenveene prope Daventriam rector constitutus est⁶⁾, ut semper videretur gloria sequi fugitantem.

Et quis dicet, quanta ibidem puritate ac sinceritate profecerit. Cum enim multis ibi annis consisteret, nunquam intravit Daventriam, quamquam a quibusdam, scilicet Gherlaco Pyl et priore de Wyndesem et aliis ex industria aliquando ad hoc pertemptaretur. Semel itaque a priore de Wyndesem vocatus cappam suam accipiens iam ire parabat. Sed in se conversus cogitare coepit, quia forte temptatio esset, et si prior de Wyndesem Daventriae consisteret, indubie etiam in Diepenveene esset venturus.

¹⁾ Er starb am 19. Februar 1429 (Nekr.).

²⁾ Walram von Gostorp, d. h. aus Gustorf, Kr. Grevenbroich (bei Lindeborn, *Historia sive notitia episcopatus Daventriensis, Coloniae 1670*, S. 429 von Mörs genannt).

³⁾ Er wurde im Wintersemester 1421/22 in Köln immatrikuliert (Keussen, *Matrikel der Universität Köln Bd. 1, 2. Aufl. 1928 Rekt. 132, 11*) und am 14. Mai 1423 zum Bakkalaureus promoviert (Walr. de Guystorp... admissus determinavit sub m. Johanne de Noviomago, *Art. Dekanatsbuch I 78b, ebd.*). Am 1. Januar 1426 wurde er in Frenswegen eingekleidet (Kap. 66).

⁴⁾ Prior war er 1436—1439.

⁵⁾ 1448—1450 (Albergensia — vgl. oben S. 103 Anm. 5 — S. 18 und S. VI und *Acquoy 3, 127*).

⁶⁾ 1468—1474 (19. April), wo er starb (Lindeborn S. 163, Nekr.). Richter S. 25 hat nicht einmal bemerkt, daß der Rektor von Diepenveen mit dem ehemaligen Prior von Frenswegen identisch ist.

Socios ergo suos misit et ipse domi remansit. Noluit enim amicus esse saeculi huius, ne inimicus Dei constitueretur.

Et vide cor sincerum. In pluribus annis moniales suas ex facie non agnovit. Dicitur enim illarum faciem non vidisse nisi in sacramentorum administratione. Ibidem ergo in magna puritate senescens tandem feliciter quievit in Domino et dicitur revelatus in maxima gloria.

De Johanne Ludinchusen cap. 56.

Huius socius fuit ille gratissimae memoriae Johannes de Ludinchusen, vir utique eminentis eruditionis, sapientiae ac devotionis. Qui et ipse in Nemore Mariae supprior et in Zeghenberch¹⁾ prior et in Bethania²⁾ rector extiterat³⁾.

Et hic occultorum revelationibus a Domino magnificatus est. Cum autem quadam vice ad Christum et Mariam in supprioris officio orationes funderet, ut defectus occulti et manifesti, quibus Deus offenditur, emendarentur, significatum illi fuit esse quendam in conventu, cuius actum Dominus aversaretur, et quia ille esset, cui notabilis confusio in choro proxime fieret. Contigit

¹⁾ Segeberg in Hostein (*Acquoy* 3, 117 ff.).

²⁾ Frauenstift Bethanien bei Arnheim.

³⁾ Er wurde am 1. Januar 1429 in Frenswegen eingekleidet (Kap. 66). Die Zeit seines Priorats in Segeberg läßt sich nicht ganz genau bestimmen, weil er in den Urkunden des Staatsarchivs Schleswig lt. dessen Mitteilung nicht vorkommt. In der gedruckten Literatur wird er bei M. Heinrich Scholtz, *Kurtzgefaßte Nachricht von der Stadt Heiligenhaven, Plön 1743*, S. 211 genannt, aber ohne nähere Angaben. Da er den erst 1441 eingekleideten Johannes Clövekorn als Prokurator mitbrachte, wird sein Antritt in die Mitte der vierziger Jahre fallen. K. Grube, *Johannes Busch, Freiburg 1881*, S. 47 gibt 1443 an. Da anderseits Joh. Busch während seines Aufenthaltes in Bronopia (*Busch* hrsg. von Grube S. XXXVI) zu Johannes' von Lüdinghausen Nachfolger in Segeberg gewählt wurde, so bestimmt sich die Zeit von dessen Amtssetzung auf etwa 1456. Die Ansetzungen von E. Schatten, *Kloster Bötdeken und seine Reformtätigkeit im 15. Jahrhundert, Münster 1918*, S. 52 können nicht richtig sein. Über den Grund erzählt *Busch* S. 498: Et quia nullus est super terram, quin specialem habeat a Deo gratiam, sic nullus est, quin etiam in se aliquem habeat defectum. Ita pater iste aliquando in sensu suo abundavit ecclesiam et monasterium in Zeghenberge in alium archidiaconatus sui locum volens transferre, quod fratribus omnibus communiter non placuit. Cum igitur ad capitulum generale perrexisset, fratres sui conversum post eum cum literis conventus ad capitulum miserunt, absolutionem eius ab officio prioratus deprecantes, quod et factum est. Er wurde Rektor in Bethanien, starb aber schon am 18. Oktober 1458 (*Nekr.*).

itaque quendam conventualem per chorum transire, et ecce, funiculus, quo campana pulsatur, illum violenter percussit et molestavit. Et cum iam supprior personam resciret, culpam tamen non cognosceret, intentius pro emendatione exoravit. Oranti ergo manus apparuit quaternum agitans. Ille enim, qui tunc librarius fuit, multa importunius copulavit. Talis enim usurpatio ac peculium Domino in suo monasterio valde displicere significabat, maxime, si vel nesciente vel non satis libere favente praelato fiat¹⁾.

Is ipse Johannes cum monialium Bethaniae rector esset, unam in confessione admonuit, ut omnia plene confiteretur. Quae cum omnia se dixisse responderet, ille iterum iussit, ut omnia diceret et, si omnia dixisset, iterum atque iterum interrogavit. Qua asserente, quia nihil sibi amplius conscia esset, ille respondit et reprehendit eam de camisia diutius, quam deberet, retenta, quod tamen ipsa nullum nosse reputabat. Qua de re deinceps in confessione quidquam celare timebant; dixerunt enim, quia iam utique nosset omnia.

¹⁾ *Busch S. 497 f. erzählt von ihm folgendes:* Prior iste vir fuit multum notabilis in scripturis divinis, multum disertus et bonus concionator. Certas et veras in celebrando habuit visiones et revelationes sicut et in orationibus, cum Deum pro aliquo negotio rogaret, praedicens futura et praesentia his, in eorum tamen absentia, pro quibus oravit. Praedixit enim eis, quid illis evenire deberet et a quibus personis, facies et staturam et dispositiones haec inferentium describens, in multa valde ab eis distantia constitutus. Prior de Wittenborch Rutgerus (*Luneborch*), tunc eius visitator (*in Segeberg*), rogavit eum, ut in missa pro eo intercederet de rebus sibi futuris, cui in memoria vivorum visio apparuit, quae tota postea ita fuit completa. Missa finita dixit ei: „Feci, quod desiderastis. Vos competenter bene statis cum Deo. Vidi vos stantem capite cappa cooperto et inclinato et unum armatum contra vos stantem, qui motibus suis ac dentibus sic in vos infremuit, ac si vos devorare vellet. Qui duos habuit de fratribus sibi assistentes totusque conventus vester circumsedens illis consensit.“ Haec audiens pater Rutgerus dixit: „Ille armatus fuit diabolus, qui propter reformationem monialium contra me inflammatus est.“ Qui respondit: „Non fuit diabolus, sed homo acutam et tenuem habens faciem, non pinguem.“ Cum pater Rutgerus inde miraretur, quis esset, respondit: „Procurator vester est, et si iam in conventu vestro essem, ipsum vobis demonstrarem.“ Qui tunc ibidem fuit frater et postmodum pater, quem tamen nunquam viderat. Respondet Rutgerus: „Nos in bona pace stamus, non potest sic esse, sed quidam alius“, ipsum nominando. Qui respondit: „Non, sed ipse est, quem vidi in memoria missae. Et miratus est, quod haec ita corporaliter videre potuit. Cum autem domum rediisset, visitoribus ibi inventis haec vera fuisse expertus est. Nam ipse procurator et duo alii conventum ad suam partem traxerunt et conspiracyonem et totis viribus contra ipsum animati ipsum deponere nitentur ab officio, sed non potuerunt. Sic ille veniam petivit et de cetero fidem dedit et promisit. Haec idcirco dixi, ut tanti patris fidem et ergo Deum devotionem considerare valeatis.

De Hermanno ten Zyl

cap. 57.

Hic occurrit recolere pios labores ac fidelitatem Hermanni ten Zyl, cuius labor non erit inanis coram Domino. Fuit enim scriptor bonus et sicut notabiliter artificiosus, sic etiam singulariter continuus et fidelis. Die noctuque laborans manibus suis magnum fecit in celebrationibus decus. Huius testamentum sunt summum missale et aliud missale pro missis privatis, pro media parte duo magna lectionalia in choro et diurnale cum versiculari, in refectorio regula, ut non facile inveniatur similis illi. Et iste tandem Bethaniae rector factus et se et domum illam in virtutum exercitiis dirigere et perficere conabatur¹⁾.

De patre Bartoldo Kuer

cap. 58.

Cum pater Walramus resignasset officioque cessisset²⁾, Bartoldus in locum illius iterum electus est, qui iam prior in Boedingen creatus fuerat, ubi cum undecim sedisset annis³⁾, proprii conventus electione revocabatur. Fuit enim vir prudens et bene religiosus.

Huius sollicitudine et opera lapidea ecclesia⁴⁾ completa consecrataque est. Anno gratiae millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto in octava apostolorum Petri et Pauli⁵⁾ per venerabilem dominum Johannem, episcopum Naturensensem⁶⁾, suffraganeum domini Hinrici de Moerza, episcopi Monasteriensis, con-

¹⁾ Er wurde am 25. März 1415 in Frenswegen eingekleidet (Kap. 66), starb als Rektor von Bethanien am 11. Oktober 1432 (Nekr.).

²⁾ 1439.

³⁾ Also 1428—1439.

⁴⁾ Diese Kirche, ein „einschiffiger gotischer Bau von einfach würdigem Gepräge“ (Breite 12 m, Länge etwa 45 m, Höhe bis zum Gewölbescheitel 17,50 m) ist in der Nacht vom 22. zum 23. Juni 1881 (nicht 1883, wie J o s t e s S. 27, Anm. 1 angibt) mit der ganzen Inneneinrichtung infolge Blitzschlages abgebrannt (vgl. u. a. Westfälischer Merkur 1881 Nr. 173). Beschreibung bei M i t h o f f, Kunstdenkmäler und Altertümer im Hannoverschen Bd. 6, Hannover 1879, S. 45 (mit Grundriß auf Taf. 1). Abbildung in der holländischen Familienzeitschrift „Eigen Haard“ 1902 S. 181.

⁵⁾ 6. Juli.

⁶⁾ Joh. Fabri (Schmidt) aus Warburg. Vgl. T i b u s, Nachrichten über die Weihbischöfe von Münster, Münster 1862, S. 36 ff. und E u b e l, Hierarchia catholica 1^a, 357; 2, 199

secrata et dedicata est ecclesia monasterii Nemoris beatae Mariae. Ad cuius consecrationem plus quam quatuor milia utriusque sexus hominum confluerunt, qui tamen de bonis monasterii ultra multorum aestimationem saturati sunt et superfuit. Cum enim inopinatam plebis multitudinem populi aestimatores aspicerent, adhuc duos boves et quatuor oves coquus mactavit et triginta pernas lardi concidit et facti sunt decem boves et quatuordecim oves. De lardo tamen antea donare non decreverant.

Eodem quoque anno ecclesia Noirthornensis consecrata est. Utriusque tamen ecclesiae dedicationis dies insimul observatur. In die vero dedicationis ecclesiae simul etiam tria altaria consecrata sunt: primum scilicet summum in honore beatae Mariae virginis, patronae gloriosissimae, et sancti Augustini episcopi, patris nostri, secundum versus meridiem in honore sanctae crucis et sanctorum apostolorum Petri, Pauli et Andreae, tertium versus aquilonem in honore beatissimae Mariae virginis et omnium sanctorum.

Sequenti vero die, prima nonas Julii¹⁾, sex altaria consecrata sunt. Deinde sequenti die, octavo idus Julii²⁾ consecrata sunt duo cimiteria versus occidentem retro ecclesiam circa quinque passus, sed versus aquilonem circa passus duodecim per quadrum et usque meridiem, quod non erat alias consecratum, retro antiquam ecclesiam³⁾, ut quadratum fieret. Similiter versus orientem consecratus est locus a nova ecclesia, ubi sacristia educeretur, usque ad antiquam sacristiam, ut quadrum fieret. Et iam prius cimiterium consecratum et ampliatus fuerat in antiquam sacristiam, capituli domum et tres cellas contiguas et locum et spatium circa utrumque gradum, sic per quadrum usque circa coquinam et refectorium laicorum et domum hospitem exclusive, quae consecratae non sunt, nec etiam via transitus ante coquinam et hospitale nec paradisus, sicut nunc aedificia constant et quantum nunc resciri potuit, scilicet anno gratiae millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto.

Tandem etiam quaedam corpora, ut praedictum est, exhumata sunt et de antiqua ecclesia ad novam honorifice translata.

Iste igitur pater Bartoldus specie ac forma satis praestans, in conversatione multum gratiosus et in suscipiendis hospitibus

¹⁾ *Vielmehr Nonis, 7. Juli.*

²⁾ *8. Juli.*

³⁾ *Vgl. S. 27.*

valde benignus, hominum favorem obtinens propensum ac fortunam propitiam¹⁾, tempestive prioratus apice in Bodinge est sublimatus, ubi cum undecim praefuisset annis honorificentius inde ad proprium conventum assumptus est. Et tandem post sex annos praepropere nimis et immature quinquagesimo octavo aetatis suae anno, sacerdotii vero decimo nono, multis beneficiorum gradibus et plenis velis ad vitae terminum perductus est²⁾, quem subtractum necessarii sui deplanxerunt.

De electione patris **Wilhelmi Keppell** cap. 59.

Deinde in electione maiores voces in Wilhelmum Keppell³⁾ ceciderunt, qui iam ex supprioratus electus in Bodingen fuerat post patrem Bartoldum⁴⁾. Unde in Bodingen fratres permoti ac contristati rogaverunt et sategerunt et pariter cum ipsis cognati patris Wilhelmi, officiales ducis Juliacensis et Montensis⁵⁾, et ipse dux, ut illum tenere possent, quippe qui iam lusantiam patriae et monasterii primum didicisset, causantes insuper, quod eodem modo ante breve tempus pater Bartoldus ablatu fuisset⁶⁾. Unde

¹⁾ In Frenswegen eingekleidet wurde er 1420 (Kap. 66).

²⁾ Er starb am 6. Mai 1446 (Nekr.).

³⁾ Er war ebenfalls 1420 in Frenswegen eingekleidet worden (Kap. 66). 1424 bis 1428 wirkte er bereits zusammen mit Busch in Bodingen an der Einrichtung des dortigen Klosters, empfing während dieser Zeit in Köln die Priesterweihe und kehrte 1428 nach Frenswegen zurück (Busch S. 360 und 398).

⁴⁾ 1439.

⁵⁾ Über seine Familie vgl. O. R. Redlich in der Zeitschrift des bergischen Geschichtsvereins Bd. 30 (1894) S. 290. Von Wilhelms Brüdern sind zwei nachweisbar, Heinrich und Johann, letzterer als Amtmann zu Steinbach in den Jahren 1430—1448. Ein Hermann v. Keppel, etwa der Vater oder ein Bruder, kommt 1432 vor. Der Großvater Heinrich starb 1426.

⁶⁾ Herzog Gerhard von Jülich-Berg schreibt am 4. Juni 1446 aus Blankenberg an Prior und Konvent von Windesheim (und am gleichen Tage und fast wörtlich ebenso an den Konvent von Frenswegen (mitgeteilt von Redlich a. a. O. S. 291 ff. — unser Chronist hat wahrscheinlich das Schreiben benutzt): Eirwirdige und eirberen, geystliche besondere lieve frunde, wir begeren uch zo wissen, as uch dan ouch waill kundich syn mach, dat nu kurtz geleden tzwene conventz broedere van Northorne van des cloisters und conventz daselffs weygen herup in unse cloister zo Boedyncgen gevoegt und gesamt synt in der meynungen, den eirberen geystlichen unsen besonder lieven andechtigen hern Wilhelm van Keppell, prior yetzont daselffs zo Boedyncgen, van dannen in dat vurschreven cloister zo Northorne zo helen vur yren prior, dartzo sii yn erweelt und gekoeren sullen haven etc. Want uns dat nu vaste, sere und hoe zo wieder is in unsen synnen besweret und ussermaisser noede seygen und hedden, dat he so van hynnen uss dem vur-

tamen motus conventus ad priorem de Wyndesem misit et se exoneravit. Ille vero conventui ac duci respondit.

Adductus igitur vir gratus et probus inthronisatus est. Sed non uno anno supervixit¹⁾, sed de illo contigit, sicut in tertio Regum libro dicitur: „*Nec mihi nec tibi sit, sed dividatur*“²⁾). Post hunc igitur pater Hubertus electus et inthronisatus est.

De Wenero opilione cap. 60.

Semper quoque viri virtutum hic claruerunt. Inter quos Wenerus opilio non modica gratia declaratus est. In quo apostoli sententia, qua dicit: „*Stulta mundi elegit Deus*“³⁾, visa est completa. Ille namque in saecularibus valde simplex apparuit, sed in spiritualibus ultra communem modum devotus.

Cum gregem ad prata minaret et pasceret, horas de domina septenas^{a)} et vigiliis cantando persolvit, ut non solum corporalem lupum, sed et diabolum longius profugaret.

a) *Handschrift: septenam.*

schreven unsen cloister van Boedyncgen komen soelde, na dem he unse geboeren undersaisse unss lantz vamme Berge und in dessen lande bekant is und syne broedere, mage, swagere und frunde trefflich hie zo lande hait, der eyn deill unse amptlude, dienre und huyssgesinde synt, sunderlingen syn wir mit gantzer lieffden uss grunde unss hertzen zo eme geneygt als ouch vaste me umb gelegen herren und guder lude by unsen landen gesessen und in unsen landen synt, so wir vernemen, mit den he kuntschaff hait, da durch sich dat vurschreven cloister Boedyncgen in kurtzen jaren by synen zyden mit unsere und anderer vurgeroirter begavongen, vurderongen und hulpen sere gebessert und vermeret hait und noch degelichs vurder durch yn doin mach, dat wir besorgen, as he van dannen queme, weder affganck und vermynronge zo krygen. Dit allet anzosehen und ouch mit zo besynnen und zo betrachten, dat dat vurschreven cloister Boedyncgen noch eyne nuwe cloister und van unsen alderen und vurfaren in kurtzen vurliedenen jaren erst zo uren mitorden gelaissen, gefunderet, begavet und beguldet is . . . ind ouch want die gemeyne conventbroedere van Boedyncgen gantz zo eme geneygt sint, dat sii yn vur enychen andern behalden mogen, so ferre dat an yn is, as wir dat eygenlich van yn verstanden haven, so begeren wir und bitten ouch sere fruntlich mit allem vlysse und ernste, dat ir uns zo eren und lieve voegen und bestellen willen, dat der vurschreven prior van Boedyncgen, unse lieve andechtige, der priorschaff zo Northorne vurschreven, na dem dat under uch und in ure macht as yre oeversten waill is, erlaissen, dat affgestalt, davan gelediget werde und zo Boedyncgen laissen willen, as dem selven unsem cloister zo vermeronge und besseronge des na alre vurgeroirten gelegenheit gantz noit is, ind dem convente zo Northorne vurschreven zo gonnen, zo bevelen und mit yn zo schaffen, eynen anderen prior zo kiesen und zo nemen, as wir dan ouch meynen, dat sy waill andere redeliche personen in yrem cloister haven, die yn da und in der lantart bequemer, nützer und bekanter syn dan der vurschreven her Wilhem

¹⁾ v. Keppel starb schon am 29. Januar 1447 (Nekr.).

²⁾ 3. Reg. 3, 26. ³⁾ 1. Cor. 1, 27.

Magnam quoque industriam pro conscientiae serenatione habuit. Cum enim quadam vice venisset confiteri, lumen a priore postulavit. Et quia litteras non didicerat, miratus prior, quare lumen optaret. Petram itaque quandam produxit, in qua viri imago erat depicta. Et circa istam imaginem prope singula membra, quibus ipse peccaverat, puncta vel tractus fecerat, ut puta circa oculos etc., quotiens excesserat, consignando, ex quibus peccata sua purgabat.

Plerumque etiam iubilare putabatur. Dum conventus „Salve, regina“ decantaret, ipse coram imagine gloriosae virginis modulabatur dulciter musicando, quomodo potuit.

Magnam quoque fiduciam ad Deum habuit. Unde dixit, quia inimicis imperare vellet sicut Martinus et dicere: „Quid hic stas, cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies!“

Cum itaque ad extrema venisset¹⁾, paulisper conterritus est. Facto namque signo pro eo quasi moriente conventus advenit. Tunc anxiani visus est, ut etiam pater Hubertus diceret, quia in angustiis esset. Sed Dominus cito magnam fecit ostensionis suae virtutem. Subito enim resumpto spiritu ait: „Deo gratias! Ecce pater cum conventu veniente lupo ille terribissimus caudam inter crura protraxit et recessit.“ Quod igitur deinceps vixit, cum magna iubilatione peregit nullam escam ultra assumens, Sed ipse modulans omnes accedentes cantare rogavit et fecit, etiam ipsum priorem et pastorem de Noirthorn. Tanta denique spiritus dulcedine videbatur debriatus, ut superior Albertus monasterii hac visa novitate secretum peteret et divinam bonitatem perpendens totus liquefieret et lacrimis habenas daret. Sic ergo in illius animae egressione maeror nullus adverti potuit.

De Dirico Heeck militari cap. 61.

Diricum de Heeck quomodo mirabimur? Qui cum in Novo Castro castellanus esset et in armis militaret, temporalium vanitatem considerans Christo magis in humilitate militandum duxit. Sed ut propositum occultaret, cum aliis in carnisprivio laetum et vanum se a foris ostendit, ut etiam in choreis cum dominabus et puellis altius saltaret. Quod comes de Benthem videns dixit: „Dirice, sunt ista bona claustralia?“ Qui respondit: „Volaticus sermo fuit.“

¹⁾ *Er starb am 29. Juni 1462.*

Sed ille intentionis suae non immemor mox ad monasterium Mariae venit, quasi per ieiunium inibi permansurus. Equum vero unum^{a)} ministro dedit et cum equis reverti fecit. Ipse vero non solum per quadragesimam, sed etiam usque ad mortem Domino se in monasterio donavit. Et certe non sicut curialis aut vasallus, sed sicut Christi servus, imo servorum Christi minister conversari elegit. Nam longo tempore refectorarius fratribus ministravit secandis lignis, scribendis libris, messium labori et aliis communibus satis sedulo insistens. Circa divina multum devotus extitit ad missam libenter ministrando, etiam matutinas quotidie visitando, ut diceret, etsi ibi magnum fructum facere non posset, propter Deum tamen inibi adesse vellet et gauderet. Tam solatiosus, hilaris et socialis in conversatione sua fuit, ut nulli onerosus esse posset.

Circa extrema quoque sua singulari praeditus gratia videbatur. Nam cum illi ministrantes ansiarentur, ne forte moreretur, ipse ait: „Nondum tempus est, sed cum hora venerit, ego dicam vobis.“ Cum igitur hora advenisset, dixit: „Tempus est.“ Sic ergo benedicta illa anima coram positis fratribus et orantibus transivit ad Dominum utique securius, quam si in bello cecidisset¹⁾.

De fratre Reynero Snavell cap. 62.

Frater Reynerus Snavel innocentiae suae apud universos, qui eum nosse poterant, testimonium reliquit. Qui Coloniae baccalariatus gradum obtinens²⁾ non tutum existimavit diu cohabitare serpenti. Unde a mundo se abripiens ad Dei servitium cordialiter confugit³⁾.

Et quamvis diversarum gradus virtutum quotidie studiose conscenderet, in caritate tamen et misericordia, quae prae omnibus primatum ac perfectionem obtinent, singulariter profecit. Et

a) *Soll wohl heißen suum.*

¹⁾ *Er starb am 11. September 1478 (Nekr.).*

²⁾ *Reynold. Snavel de Svollis wurde im Sommersemester 1425 in Köln immatrikuliert (Matrikel hrsg. von K e u s s e n, 2. Aufl. 1928, Rekt. 145, 20). Dagegen ist seine Promotion nicht nachzuweisen.*

³⁾ *Am 1. Januar 1429 wurde er in Frenswegen eingekleidet (Kap. 66).*

ut in talibus liberius ac ferventius se exerceret, officium vestiarii sortitus usque ad vitae finem tam fideliter quam humiliter administravit. Et cum aliis secundum domus competentiam diligenter donaretur, ipse in omnibus quasi pauper fuit, ut nec pedalia haberet valentia, imo saepe sua extraxit vestimenta et aliis, quae etiam dicere non oportet, hilariter communicavit. Gaudebat, si cui etiam cum proprio detrimento subvenire posset. De vestitu et victualibus nec querimonias nec murmurationes fecit. Sed sicut beata Maria quendam conversum Carthusiensem perdocuit: „Stude vilibus escis, amplectere abiectas vestes, operi manuum devotus insiste“, quasi Maria illi singulariter haec intimasset, sic ea sollicitus perfecit.

In confessionibus recipiendis diligens multum fuit et non tantum desiderantibus promptus, sed etiam non cupientes excitavit dicens: „Vis confiteri?“ Et si alius responderet se nihil cogitare vel habere, ille ait: „Utique aliquid habes. Veni, veni, et, quod nosti, confitearis.“ Et ut omnia melius purgarentur, disciplinas valde libenter accepit et dedit.

In communibus operibus vel eventibus interna habuit exercitia, ut, si in aliquo laederetur vel ureretur, mox ad Domini passionem vel Laurentii unctionem et ita in aliis ad similia corde et ore confugeret.

Valde quoque diligens fuit alios promovere, iuvare, excusare et docere adeo, ut illi testimonium redderetur, quia esset homo vere purus, sobrius, castus, pius, prudens ac homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo et permanens in innocentia sua.

Qui tandem diutina calculi molestia fatigatus quasi dulci sopore in mortem resolutus est¹⁾.

De patre Huberto Traiectensi cap. 63.

Hubertus Oudecoep de Traiecto inferiori oriundus ab initio suae conversionis²⁾ Dei timorem in se ostendit et ab hominibus abstractus ad interiora se convertit studiose. Unde etiam in laboribus si modicum otii arrideret, non diu otiosis confabulationibus intendit, sed secretum quaeritans vel in angulum divertens

¹⁾ Er starb am 20. März 1476 (Nekr.).

²⁾ Er wurde am 21. September 1441 eingekleidet (Kap. 66).

genua flexit et cor suum in oratione coram Domino effudit. Talibus ergo et aliis virtutum studiis deditus ad prioratus officium provehi, quamvis iunior sacerdos esset, uno dempto, prae omnibus meruit. Quod officium quadraginta annis¹⁾ strenue administravit et utique tanto moderatius et uberius, quanto diutius.

Tunc itaque attendens, quia ipse tamquam *lucerna super candelabrum*²⁾ esset positus, ut luceret omnibus, qui in domo fuerunt, exemplo et verbo prodesse aggressus est. Amplius abstractus, recollectus et studiosus fuit, brevis in verbis, in sententiis autem profundus, adulationes, oblocutiones et levitates nec faciens nec diligens. Mirabatur denique, quid homines inter prolixa colloquia referre habeant.

Cum etiam quaedam matrona, quae illum invitaverat ad refectionem ciphum arriperet et spiritum sanctum illi propinatura optaret et promitteret, ille respondit spiritum sanctum in poculo non requirendum. Et alia quaedam domina cum puerum quendam incitasset, ut^{a)} coram priore quosdam gestus parentum suorum faceret, tunc demum priorem petiit, ut iam puero aliquid daret, ille respondit: „Propter ista ego illi nihil dare volo.“

In vestitu vilitatem et in victu tenuitatem non sprexit, sed magis vestimenta repeciata sicut cappam, subtile, caligas cum peciis restauratas portavit. Sic etiam palatum suum domuerat, ut in cibus et potibus non tam saporem quam refectionem requireret. Nam et aliquando cerevisiam extraneam bibens non scivit, donec postmodum ab aliis audiret. Quod etiam illi foris constituto interdum contigit. De his, quae illi primum apposita fuerunt, suam sufficientiam accepit. Sed nec hospitibus a foris lautiora comparavit nec faciliter vinum dedit.

Terrenorum non valde cupidus, sed quasi incurius fuit. Dixit enim: „Si virtutes haberemus ampliores, Dominus utique de victu et vestitu nobis providebit.“ Unde in capitulo praecipue laicorum dicere consuevit: „Fratres, caritatem, humilitatem et virtutes sollicite servemus. Fratres, ego minus doleo de nostrarum pecorum interitu quam de laesione caritatis et virtutum defectu. Imo divitias terrenas non cupivit, sed ditescere quam depauperari timuit magis. Unde etiam circa sua extrema audenter pronuntiavit dicens: „Nullius unquam bona concupivi, attamen bonam competentiam Dominus semper providit, sed hoc non de industria mea.“

a) *Handschrift: et.*

¹⁾ 1447—1487. ²⁾ *Matth. 5, 15.*

De pauperibus valde sollicitus fuit et propterea officialibus praecepit, ne omnino negligenterentur. Sic etiam portario iussit, ut audenter et sine parcitate pro pauperum necessitatibus de cellario acciperet omnia, et cellario mandavit, ne in aliquo illi obsisteret. Ipse quoque per se butyrum interdum et alia de cellario accipiens indigentibus dedit. Sed insuper in eleemosynis dandis largus fuit, ut etiam integros florenos aureos daret, imo integras summas.

Hoc patuit, cum conventui de Wittenborch et conventui in Noirthorn una summa florenorum daretur. Fautum est conventui de Wittenborch propter suam tenuitatem totam summam ad tempus tenere et conventui in Noirthorn pro sua parte annonam dare, donec tandem summam persolverent. Sed anni decurrerunt, et illi nec annonam nec summam persolverunt. Tandem itaque venerunt compositionem facere. Sed pater Hubertus conventus sui consilio et consensu habito summam illis et totum emolumentum cum onere donavit.

Similiter aliquando contigit, ut quidam de clero Osnaburgensi vicarius monasterio Nemoris Mariae magnam summam, nescio an mille florenos, dandos offerret, sed responsum accepit, ut magis indigentibus donaret, et hic iam victus et vestitus competentem haberi proventum. Testis est conventus in Oesterberge¹⁾, ubi se ista summa sustentatos et adiutos fatentur. Magna stultitia est de eleemosynis ultra extremam necessitatem percipere. Et utinam de necessariis satisfacere quis posset.

Ipse etiam propterea in personarum receptione non ad divitias, sed ut aptas haberet personas, intendit. Et in temporalium donorum receptione et in spiritualium redditione intentionem exhibuit sincerissimam. Sicut enim benefactores dabant ex devotione secundum, quod illis Dominus inspiravit, sic absque exactione et pactione quacumque, prout spiritus sanctus instigavit, spiritualia rependit secundum canonem²⁾, qui dicit „*Omnis absit pactio omnisque cesset conventio.*“

Et propterea cuidam pecunias mittenti et certas missas petenti postea sic rescriptum fuit: „Nos talem consuetudinem non habemus, nec aliquando habuimus, ut pro certis pecuniis certas missas dicamus. Et ideo pecunias remittimus, ut aliunde vobis provideatis, quia ego fratres nostros, qui satis obligati sunt, am-

¹⁾ Vgl. S. 96 Anm. 2.

²⁾ Diesen Kanon kann ich nicht nachweisen.

plius gravare non audeo." Sollicitus tamen fuit, ut benefactoribus satisfaceret, sed sine exactione et pactione. In quo plane consuetudinem valde laudabilem imprimis suo conventui firmavit, dein suavissimam conscientiarum puritatem providit, demum libertatem posteris reliquit acceptabilissimam, quam pro parvo vel pro magno aliquatenus tradere nullatenus honestum, licitum vel expediens aliquando erit.

Fuit insuper sibi ipsi strenuus et austerus propria solatia non multum quaeritans, temptatis vero et afflictis consolatorius et benignus extitit, vitiorum autem durus expugnator; virtutes quoque et virtuosos paterne fovebat. Et propterea sicut dissolutis et indisciplinatis formidini fuit et austerus videbatur, sic bonis amabilis et multum gratus et cunctis reverendus fuit. Erat enim valde compatiens et super afflictos pia gestans viscera adeo, ut temptatis et infirmis condolens etiam gemeret et fleret. Quapropter infirmos indies visitavit et ut in plurimum, priusquam ad refectorium iret, illos adiit et de eorum valetudine interrogans consolabatur eos et, si quid desiderarent, exploravit. Sed et fratres et subditos in cellis et officinis frequenter visitavit et de laboribus interrogans et respiciens, quia ex hoc in maiori illos custodia, disciplina, fervore ac fidelitate persistere ac proficere novit.

Religionis zelum habuit et ideo non tantum suam domum in disciplina tenuit, sed etiam monasterium monialium in Langenhorst reformavit¹⁾ et pro reformatione Wytmerschen diligenter et efficaciter laboravit²⁾.

Magnae etiam supra humanam aestimationem patientiae fuit. Nam circa extrema sua, cum iam officium sponte et cum supplicationibus propter senium ac debilitatem resignasset, paulatim gressus eius deficere coepit, ut etiam vulnera in pedibus, cruribus et corpore eius fierent. Tamen sic circa quadriennium duobus ministris levabatur, tractabatur et deponebatur, ut nunquam murmuraret, nunquam reclamaret, sed semper gratus existeret. Unde profecto liquet ipsum vel incomprehensibilem habuisse patientiam vel membra illius magna ex parte paene mortua, quia sic quasi lignum contrectari potuit.

¹⁾ *Augustinerinnenkloster Langenhorst, Kr. Steinfurt, Bistum Münster, 1462 der Aufsicht Frenswegens unterstellt!*

²⁾ *Benediktinerinnenkloster Wietmarschen in der Grafschaft Bentheim. Von der Reform dieses Klosters wissen wir nur, daß sie 1481 beendet war (Urkunde im Fürstl. Archiv zu Burgsteinfurt). — Die Angabe von Richter (S. 25), daß Hubert beide Klöster 1447 reformiert habe, ist also nicht richtig.*

Ecce, quasi alter Joseph honoratus, *princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi, et ossa ipsius visitata sunt*¹⁾.

Fuit denique homo corpulentus et statura magnus, corpore et ventre ac facie pinguis, grossis membris, vultu venerabili et decoro, nigris superciliis, aspectu maturus, qui iam plus quam quinquagenarius in ordine usque ad canos pervenit.

Tandem longa debilitate purgatus ac probatus post sacramentorum perceptionem coram positus fratribus et orantibus dormivit cum patribus suis *ingrediens in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici*²⁾.

De Alberto Monasteriensi suppiore cap. 64.

Recordatio fratris Alberti de Monasterio³⁾ supprioris suavis *quasi lilia, quae sunt in transitu aquae et quasi thus redolens in diebus aestatis*⁴⁾. Et ipse multa comptus virtute et in Dei servitio alacer, singulariter modestia et mansuetudine praeclarus exstitit in tantum, ut raro illi similis inveniatur.

Qui cum patre Huberto iam investitus⁵⁾ et probatus fuerat, et tandem supprior illius factus triginta septem annis⁶⁾ ingenti alacritate id officii administravit, cantor insuper et armarius ac iuniorum institutor, quibus de sua benignitate materno affectu lac offerret et lanam. Quantos itaque de saeculari vanitate conversos monasticis disciplinis ac moribus instituit, quantos vacillantes ad professionem reduxit et adduxit, quantos ad sacerdotium promotos modo suo decenti, singulariter apto et convenienti officium perdocuit et ad altare Domino praesentavit!

Sed et confitentibus magnam praestitit fiduciam illos consolando et sustentando et secrete servando, ut secure tamquam coram ligno illi revelarentur omnia, neque detrahere quisque illum

1) *Ecclesiastic. 49, 17. 18.*

2) *Er starb am 29. April 1487 (Nekr.).*

3) *Er hieß mit Hausnamen Becker (Pistoris); vgl. Kap. 66.*

4) *Ecclesiastic. 50, 8.*

5) *21. September 1441.*

6) *Also 1444—1491.*

pertimuit. Et sicut alios simplicitatem docuit et curiositatem dissuasit, sic in semetipso etiam exhibere studuit. Nam cappam et vestimenta cum peciis restaurata humiliter et desideranter portavit et ipsemet subtile et vestimenta sua reparavit, ut etiam in caligulis peciam super peciam apponeret. Et sedulitatem et alacritatem in Dei servitio quis explicet? Quasi integros annos missam quotidie celebrando continuavit, in quo utique magnae tranquillitatis ac puritatis suae indicium reliquit. Et quantum corpore senescere, tantum mente iuvenescere et spiritu circa divina fervere videbatur. Unde quasi usque ad decrepitam senectutem ad labores communes, ubicumque conventus vocaretur, etiam in laboribus messis et foeni saepe promptissimus et primus fuit. Ex hoc enim ceteri et maturius properare et ferventius laborare et disciplinatus conversari didicerunt et consueverunt.

Et cum iam in ordine plus quam quinquagenarius esset, corpore exili, macilenta facie nunquam una nocte in infirmitorio decubuit. Sed circa extrema lento languore correptus, colicae et calculi, ut putabatur, infirmitate eadem die, qua ad infirmitorium deferebatur, inunctus fuit et vespere coram posito conventu et in genibus pro ipso supplicante spiritum tradidit Domino, qui dedit illum¹⁾.

Quorundam virtuosorum brevis commemoratio.

Cap. 65.

Seda) quomodo singulos virtutum viros gloriosos amplificabimus? Longum foret, si singularem fratris Johannis Clovekorn²⁾

a) In der Handschrift steht *Cet, was aber wohl ein Versehen ist.*

¹⁾ Er starb am 16. Oktober 1491 (Nekr.).

²⁾ Johannes Clövekorn aus Osnabrück (Busch S. 484 Anm. 1) wurde 1441 eingekleidet (Kap. 66). Er war Prokurator Johannis v. Lüdinghausen in Segeberg (also Ende der vierziger und Anfang der fünfziger Jahre; vgl. Busch S. 497 und oben S. 114 Anm. 3). 1456—1476 war er Prior in Richenberg bei Goslar. Busch S. 483 f. sagt von ihm: qui plus officium suum strenue gubernavit et bona monasterii in temporalibus et spiritualibus, in aedificiis et redditibus, in bona regulari observantia et morum disciplina bene augmentavit. Er kehrte dann nach Frenswegen zurück (vgl. oben S. 109), von wo er am 24. Oktober 1478 an seinen alten Bekannten Johannes Busch wegen einer theologischen Schwierigkeit einen Brief schrieb (nebst Buschs Antwort abgedruckt bei Busch, Kleinere geschriften door D. J. M. Wüstenhoff, St. 2, Gent 1890, S. 81—85). Das Todesjahr 1476 (Nekr.) kann also nicht richtig sein; der Tag ist der 25. August.

cum gravitate hilaritatem, verecundiam Johannis Roest¹⁾, Lipoldi, Egberti utriusque, Lamberti de Almeloe pro communi fidelitatem, mansuetudinem et tranquillitatem, Johannis Annynck laici et Godefridi Vrederen in orando sedulitatem, ut nunquam fatigari et vix quiescere videretur²⁾).

Et Gherardus de Traiecto quam spirituali et abstracta mente fuit, ut infra divina erectis genibus persisteret et parum legere, sed oculis clausis, facie serena ad coelum tensa, corde absorptus videretur.

Et Arnoldus de Almeloe magnam de divina bonitate fiduciam ostendit et corde aperto ac manifesto fuit.

Et Zwederus Ruthenborch pluribus annis in coquina ingenti alacritate subministravit, cui singulare studium fuit singulis infirmis pro ipsorum varia infirmitate de coquina servire. Et cum seipso puritatis ac pacis esset amator, etiam quotiescunque dissidentes pacificare et concordare laborabat.

Istorum ac ceterorum gratias, caritatem, humilitatem, devotionem, mansuetudinem, puritatem, sobrietatem, disciplinam ceteraque spiritualia carismata quis enarrare sufficiat? Videre fuit in illis, quod ait apostolus: *Unusquisque donum proprium habet a Deo*³⁾. Extiterunt namque inter illos, quantum apparuit et humanitus possibile fuit, viri religiosi ac devoti, activi, contemplativi et extatici, imo apostolici ac prophetici, quia multis secretorum revelationibus recreati. Et propterea doctor Marcellus⁴⁾ cum duos de antiquis familiaribus vidisset, Nicolaum Dryer, ni fallor, et Hinricum de Ummen, reverentiam illorum miratus in hanc vocem prorupit: „Petrum et Andream ibi vidi.“ Qui tandem etiam Romae coram domno apostolico huius domus regimen, ordinem ac disciplinam protestans de singulis sanctorum ordinibus ac gradibus hic se vidisse asseruit, utpote de patriarchis, prophetis, apostolis, martyribus et virginibus. Qua narratione papa condelectatus ipse manum suam levavit et super hanc domum benedictionem consignavit. Et ut Dominus eam conservet et benedicat in aeternum. Amen.

¹⁾ Vgl. über ihn und die folgenden das 66. Kap., soweit sie dort genannt sind.

²⁾ Der Satz ist nicht zu Ende geführt.

³⁾ 1. Cor. 7, 7.

⁴⁾ Mir unbekannt.

Priorum ac fratrum de primo centenario epilogatio cap. 66.

Nunc priores et fratres de primo annorum centenario compendiose recitemus.

Denique postquam inclytus comes Bernardus venerabilibus dominis Hinrico Crul et Everhardo de Eza locum pro monasterio assignasset anno millesimo tricentesimo nonagesimo quarto, tunc eodem anno in die sancti Thomae¹⁾ apostoli in oratorio altare consecratum est et cimiterium seorsum de voluntate et commissione domini Ottonis de Hoya, episcopi Monasteriensis, et consensu capituli per venerabilem suffraganeum dominum Wene-
marum, episcopum Cymbaliensem, et per eundem investiti quatuor, primi²⁾: dominus Hinricus Kyndeshof, dominus Herpo de Lemgo, iam presbyteri, Hermannus Plettenborch et Johannes de Juliaco. Quibus mox professis Hinricus Kyndeshof rector et prior prae-
positus est et frater Herpo supprior.

Primus ergo rector et prior Hinricus Kyndeshof³⁾ anno nonagesimo quinto investivit Johannem Berck, anno nonagesimo sexto Hermannum Zelem, Jacobum Lumbardia, Johannem Gronyngen. Sed Johannes de Juliaco, Hermannus et Jacobus postmodum recesserunt et cum illis novitius Gherardus Oldenwater, qui aliud monasterium Gaesdonck prope Goch construxerunt⁴⁾. Nonagesimo octavo Hermannus Zutphaniae investitus est.

Secundus prior et pater Hermannus Plettenborch⁵⁾, qui anno millesimo quadringentesimo Theodricum de Huxaria, Hinricum Beesden, Ernestum Scopingem⁶⁾, qui factus est prior in Thabor⁷⁾, Hinricum de Borcken investivit, sed praepropera morte interceptus⁸⁾ eorum professionem non accepit.

Tertius prior Theodoricus de Vyanen⁹⁾ ex Eymsteen anno millesimo quadringentesimo primo investivit Egbertum de Al-

¹⁾ 21. Dezember.

²⁾ Vgl. oben S. 27.

³⁾ 1394—1399.

⁴⁾ Vgl. S. 35.

⁵⁾ 1400—1401.

⁶⁾ Er starb 1423. Dies Todesjahr und die folgenden entnehme ich dem Nekrologium.

⁷⁾ Augustinerchorherrenstift bei Sneek in der niederländischen Provinz Friesland. (*Acquoy* 3, 53 ff.).

⁸⁾ Auch die übrigen bisher Genannten mit Ausnahme der Gründer von Gaesdonck, Johanns von Groningen und Ernst Schöppingens starben 1401 an der Pest; vgl. oben S. 38 ff. Über Johann von Groningen († 1410) vgl. S. 85 f.

⁹⁾ 1401—1415. Über ihn S. 82 ff.

melo¹⁾) et Arnoldum Huls, qui in Bodick prior factus est²⁾), anno secundo Rembertum ter List, qui in Ezingen prior factus est³⁾), et Petrum de Werdena, qui per dispensationem de beneplacito conventus mutato habitu in Werum⁴⁾) abbas factus est propter loci reformationem⁵⁾), anno tertio Johannem Bennynck, qui factus

¹⁾ Gestorben 1453.

²⁾ Arnold Hüls aus der Mark (Marcanus) gehört zu den namhaften Reformatoren der Kongregation. Er reformierte um 1411 Thabor (*Acquoy* 3, 54, *Busch* S. 160). 1420 wurde er Rektor in Marienkamp (Esens oder Ezingen) in Ostfriesland (*Busch* S. 359), wo er wohl bis zum Antritt Arnolds von Krefeld (vgl. weiter unten) 1424 tätig war. 1424 wirkte er zusammen mit Busch und Keppel an der Einrichtung Bödingens und war dort bis 1428 Rektor (ebd. S. 360, 490). 1432 wurde er Prior in Böödeken bei Paderborn (ebd. S. 490). Diese Würde hatte er bis 1449 inne, wurde dann wegen Altersschwäche seines Amtes entbunden und starb am 17. April 1451 Schmitz-Kallenberg, *Monumenta Budicensia*, T. 1. Münster 1915, S. 4 und *Nekr.*) *Busch* widmet ihm in seinem „*Liber de reformatione monasteriorum*“ das 27. Kapitel, Kap. 3, 27. Er erzählt zunächst, wie Hüls als Kleriker in Frenswegen vom Teufel versucht wurde, der ihn aus dem Orden zu entfernen suchte, und fährt dann fort: Clericus vero iste Arnoldus Huls magnus postmodum propagator ordinis nostri fuit in diversis diocesibus. Nam in diocesi Monasteriensi investitus et professus fuit, in monasterio prope Ezingen in Oestfrisia ordinis nostri primus prior fuit, plures ibi ad ordinem et in laicos suscipiens diocesis Bremensis. Primus etiam rector et pater fuit in Bodinghen diocesis Coloniensis, ubi cum eo dictum ordinis nostri coenobium fundavimus et ereximus in monasterium, capellam ibidem cum domibus sibi annexis auctoritate sedis apostolicae et plures fratres et laicos ad professionem suscepimus. Prior etiam fuit in Bodike ordinis nostri diocesis Padebornensis, de quo monasterio plura ordinis nostri coenobia aut de novo sunt fundata vel antiqua in diversis terris et episcopatibus reformata et etiam monialium non reformatarum monasteria in ordinem canonicorum regularium translata. Ecce, quantum in ecclesia Dei sancta fructum Deus per eius diligentiam, et laborem facere dignatus est, quod inimicus humani generis diabolus libenter impedivisset, si potuisset! — Hüls wandelte ferner 1437 Hirzenhain (Hertzenhagen) in Oberhessen (*Acquoy* 3, 108), 1441 Möllenbeck (ebd. S. 111), 1443 Kirschgarten bei Worms (ebd. S. 113) in Chorherrenstifter um und reformierte u. a. 1440 Truttenhausen im Bistum Straßburg (ebd. S. 140) und 1446 Höningen (Hegene) in der Grafschaft Leiningen (ebd. S. 123). Über die Reformtätigkeit vgl. jetzt auch E. Schatten, *Kloster Böödeken und seine Reformtätigkeit im 15. Jahrhundert*, Münster 1918, S. 40 ff.

³⁾ Er war auch Prior in Wittenburg 1423—1436 und machte sich als solcher im Auftrage des Baseler Konzils um die Klosterreform in Niedersachsen verdient (*Busch* S. 480, 482, 518, 637; *Acquoy* 3, 90). In Marienkamp (Ezingen) wurde er wohl anstelle Arnolds von Doesborch (vgl. oben S. 98) 1436 gewählt. Er starb dort am 3. Nov. 1447 (*Nekr.*); vgl. auch Suur in der unten zu nennenden Schrift S. 56, der der Biographie Arnolds von Krefeld folgt. Der Versuch des Herausgebers dieser Biographie (vgl. unten), Rembert zum Vorgänger Arnolds zu machen, ist gänzlich verfehlt. Der erste „Rektor“ Marienkamps war vielmehr Arnold Hüls (vgl. oben).

⁴⁾ Prämonstratenserklöster Floridus Hortus in Wittewerum in Friesland.

⁵⁾ Peter von Werden kommt nach frdl. Mitteilung des Staatsarchivs in Groningen am 9. Juni 1438 (*Verzam. van Stukken* 1, 422) und 25. Mai 1444 (ebd. 451) urkundlich als Abt von Floridus Hortus vor. Bald darauf (1445) muß er seine Würde resigniert haben; er kam darauf nach Magdeburg (*Busch* S. 512 und danach Hugo, *Sacri et canonici ordinis Praemonstr. annales* P. 1., T. 1, 1734, S. 672; zur Zeitbestimmung K. Grube, *Johannes Busch, Frei-*

est procuratur¹⁾, et Wernerum Epe²⁾ in annuntiatione Mariae, anno sexto in annuntiatione Mariae Wolterum Bilrebeck³⁾ et Florentium Homer⁴⁾, qui fuit confessor prope Campis⁵⁾, et Johannem Brubach⁶⁾, anno undecimo Lucae evangelistae⁷⁾ Hermannum de Huxaria⁸⁾ et Arnoldum de Creveldia, qui in Ezingen prior fuit⁹⁾. Hos pater Theodricus de Vyanen investivit.

Quartus prior, pater Hinricus Loder¹⁰⁾ ex Wyndesem anno quintodecimo in annuntiatione beatae Mariae investivit Arnoldum Doesborch, qui supprior factus et electus prior in Ezingen, sed non acceptavit¹¹⁾, Hermannum ten Zyl¹²⁾, qui rector in Bethania, anno decimo octavo in annuntiatione Conradum Leydis¹³⁾, Lippoldum de Mello¹⁴⁾, qui procurator fuit, anno vicesimo Ambrosii¹⁵⁾

burg 1881, S. 94 und 268 f.). Über Peters spätere Schicksale ist mir nichts bekannt. 1464 kommt Timann als Abt von Floridus Hortus vor (Verzam. van Stukken 2, 42).

¹⁾ Identisch mit dem Prokurator Johannes von Steinfurt, der nach dem Nekr. am 15. September 1435, nach S. 103 aber 1436 starb.

²⁾ Gestorben 1460.

³⁾ Gestorben 1457.

⁴⁾ Gestorben 1427.

⁵⁾ Frauenstift Bronope bei Kampen (Acquoy 3, 204 ff.).

⁶⁾ Gestorben 1422.

⁷⁾ 18. Oktober.

⁸⁾ Sein Hausname war Reynemann. Er wirkte 1430 an der Reform von Richenberg bei Goslar mit, ist aber später offenbar nach Frenswegen zurückgekehrt und 1467 gestorben. Er stand mit Busch im Briefwechsel. Dieser sagt von ihm: qui michi frequentius scripsit sententiam meam super sua motiva requirens et michi ad interrogata satis bene respondens; vgl. die oben S. 127 Anm. 2 genannte Antwort Buschs an Clövekorn.

⁹⁾ Über ihn befindet sich eine lateinische Biographie im Staatsarchive zu Aurich, die bei H. Suur, Geschichte der ehemaligen Klöster in der Provinz Ostfriesland, Emden 1838, S. 49 ff. benutzt und später von Sauer im Jahrbuch der Gesellschaft für bildende Kunst u. vaterländische Altertümer zu Emden Bd. 2. H. 2 (1877) S. 47—83 herausgegeben ist. Arnold wirkte in Marienkamp 1424 bis zu seinem Tode am 23. September 1431 (vgl. auch oben S. 130 Anm. 2), schützte die Rechte des Klosters gegen die benachbarten Häuptlinge, sorgte für Vermehrung der Besitzungen, errichtete neue Gebäude und eine Windmühle, baute einen neuen Chor, legte neue Kirchhöfe an und ließ durch den von Frenswegen erbetenen Laienbruder und Zimmermann Friedrich Hüls, den Bruder des bekannten Arnold Hüls (vgl. S. 130) einen Schlafsaal bauen. Er starb zusammen mit 13 anderen Mitgliedern des Klosters an der Pest und „hinterließ den Ruf eines für sein Stift tätigen und klugen, zugleich aber den eines bescheidenen und mäßigen Mannes, der selbst zum Generalkapitel des Ordens nur zu Fuß reiste, und wenn er zur Essenszeit sich außerhalb des Klosters verspätet hatte, mit dem Getränk (tisana) zufrieden war, das die Brüder übrig gelassen hatten“ (Suur).

¹⁰⁾ 1415—1436.

¹¹⁾ Vgl. S. 106 ff.

¹²⁾ S. 116.

¹³⁾ Gestorben 1445.

¹⁴⁾ Identisch mit Lippold Kötken, der 1464 starb.

¹⁵⁾ 4. April.

Bertoldum Kuer¹⁾, Wilhelmum Keppel²⁾, uterque primo in Bodingen, postea hic priores fuerunt, et Johannem Renen³⁾, vicesimo tertio in purificatione Johannem Scutturp, qui procurator⁴⁾, Johannem Pictoris et Petrum Jeghers⁵⁾, vicesimo sexto in circumcissione Albertum Zweerte, qui fuit rector in Langenhorst⁶⁾, et Walramum⁷⁾, qui procurator, prior et supprior fuit et pater in Albergen et rector in Deypenvene, vicesimo sexto Matthiae⁸⁾ Hinricum Alen⁹⁾, Johannem Voeskule¹⁰⁾, vicesimo nono circumcissionis Johannem Ludinckhusen¹¹⁾, qui hic supprior fuit et prior in Zeghenberch et in Bethania rector, Johannem Corneli¹²⁾, Johannem ter Maed¹³⁾, Reynerum Snavel¹⁴⁾, Paulum Zutphaniae¹⁵⁾, tricesimo quinto Everhardum Zwane¹⁶⁾, Hesselum Optloe¹⁷⁾, Arnoldum Rosinck¹⁸⁾ ipso die Matthiae, tricesimo septimo¹⁹⁾ in conversione sancti Pauli²⁰⁾ Johannem Heliae²¹⁾, qui procurator fuit, Tricum Scherpenberch^{21a)}, Egbertum Metelen²²⁾, tricesimo sexto Johannem Peynck²³⁾, qui in Lunnekerke²⁴⁾ prior fuit. Hos prior Hinricus Loder investivit.

Quintus prior Walramus²⁵⁾.

Sextus prior Bertoldus Kuer²⁶⁾ anno quadragesimo primo in festo Matthiae investivit Albertum Pistoris²⁷⁾, qui supprior,

1) Vgl. S. 116 ff.

2) S. 118 f.

3) Gestorben 1439.

4) Gestorben 1486 als Rektor in Bethanien bei Arnheim.

5) Vgl. S. 110 ff.

6) Albert Swart oder Zweerte starb 1467.

7) Vgl. über ihn S. 113 ff.

8) 21. September.

9) Gestorben 1452.

10) Gestorben 1454.

11) Vgl. S. 114 f.

12) Gestorben 1455.

13) Gestorben 1438.

14) Vgl. S. 121 f.

15) Gestorben 1451.

16) Gestorben 1448. Er war Kanonikus der Kirche in Oldenzaal gewesen und hatte am Konstanzer Konzil teilgenommen; vgl. Busch S. 173. Auf dem Baseler Konzil gehörte er zu den Vertretern der Kongregation.

17) Gestorben 1474. Er stammte aus Ootmarsum.

18) Gestorben 1464.

19) Offenbar Schreibfehler für sexto.

20) 25. Januar.

21) Gestorben 1480. Er stammt aus Zwolle. 21a) Gestorben 1488.

22) Gestorben 1490.

23) Gestorben 1462.

24) Ludingakerke (Ludinkirka) bei Harlingen in Friesland (Acquoy 3, 91 ff.). In den *Recepta priorum* 1458 als Prior von L. genannt.

25) 1436—1439.

26) 1439—1446.

27) Vgl. über ihn S. 126 ff.

Johannem Roest¹⁾, Johannem Gravie, qui rector Bethaniae²⁾, Hubertum Oudecoep³⁾, qui prior, Johannem Clovekorn⁴⁾, qui in Richenberg prior fuit, anno quadragesimo quarto in conceptione beatae Mariae Lambertum de Almeloe⁵⁾, anno quadragesimo sexto in annuntiatione Mariae Johannem Wilde, qui primo procurator fuit, deinde prior in Bethlehem⁶⁾, tandem ad Carthusienses se transtulit⁷⁾.

Septimus prior Wilhelmus Keppel⁸⁾.

Octavus prior pater Hubertus Oudecoep⁹⁾, qui in annuntiatione Mariae investivit Johannem Kalkar, qui rector factus est in Langenhorst¹⁰⁾, Johannem de Oldenzael et Johannem de Asbeke¹¹⁾ anno quinquagesimo¹²⁾, sed anno quinquagesimo secundo

1) Gestorben 1485.

2) v. d. Grave, gestorben 1476.

3) Vgl. S. 122 ff.

4) S. 127.

5) Gestorben 1488.

6) In Zwolle (*Acquoy* 3, 15 ff.).

7) Er wurde 1458 Prior von Bethlehem, trat 1465 in den Kartäuserorden in Trier über und starb daselbst (*B. J. v. Hattum, Geschichten der Stad Zwolle D. 4, Zwolle 1773, S. 183*).

8) 1446—1447.

9) 1447—1487.

10) Gestorben daselbst 1501.

11) Gestorben 1484.

12) Ein Personalverzeichnis aus dem Jahre 1451 (in dem von v. Cooth zusammengestellten Sammelbände „*Collectio originalium et copiarum . . . ad hist. can. Frensw. . . . spectantium*“ im Fürstl. Archiv in Burgsteinfurt) lautet: *Fratres clerici: Prior. Supprior. Egbertus. Wernerus. Hermannus. Lippoldus. Albertus Sweerte. Hinricus Alen. Johannes Voscuul. Johannes Cornelii. Reynerus Snavel. Hesselus. Johannes Helye. Egbertus de Metelen. Albertus Pistoris. Johannes Rust. Johannes Gravie. Johannes Cloefcoern. Tricus (gestrichen). Lambertus. Johannes Wilde. Johannes Kalkar. Johannes de Oldenzeel. Johannes Asbeec. Hermannus Metelen. — Arnoldus Hulse, quondam prior in Bodic. Walramus, prior in Alberghen. Johannes Peync, prior in Ludenkerke, Johannes Scuttrop, rector in Bethania. Arnoldus. Arnoldus Rosinc, socius rectoris. Johannes Ludichus. — Conversi. Wilhelmus hospitalarius. Hartgherus. Gherardus in Nydelinc. — Clerici. Johannes Diest. Johannes Benthem. Nycolaus. Johannes Limberch. — Donati. Dominus Enghelbertus. Hennike. Zanderus. Gherardus cellerarius. Hermannus faber. Arnoldus carpentarius. Bernardus ter Baerle. Everardus colonus. Ludolphus opilio. Johannes Tynneghieter. Albertus, Swederus, Otto coci. Bernardus, Wesselus, Everhardus sutores. Liefardus, Volkerus carpentatores. Hermannus, Christianus, Arnoldus Almelo pistores. Hinricus, Hermannus, Conrardus, Ricwinus saertores. Jacobus pellifex. Hermannus portarius. Johannes de Oldenzeel. Hinricus Scuttrop. Gherardus ortolanus. Hermannus cocus. Hinricus, Christianus fabri. Wilhelmus de Emen, Tyelmannus piscatores. Gherardus rotarius. Hermannus barbitonsor. Henricus de Renen. Gherardus Palt. Gotfridus hummelarius. Johannes de Lunne. — Coloni. Robbertus senior. Bernardus Ghildehuis. Hermannus Wedebrenk. Gherardus Bosche. Rutgherus. Johannes Twent. Johannes Anninck. Wernse. Johannes Huusman. Henricus de Heerde. Henricus de Ummen. Wernerus opilio. Petrus, Gherardus, Everardus mulsores.*

Bonifatii¹⁾ Johannem de Benthem, qui procurator, deinde prior in Ezingen²⁾, anno quinquagesimo tertio Johannis Baptistae³⁾ Nicolaum de Campis⁴⁾ et Oetbertum de Zwollis, qui procurator, deinde prior in Bodingen⁵⁾, quinquagesimo nono in conversione sancti Pauli Johannem de Renis⁶⁾ et Bernardum Langenhorst⁷⁾, sexagesimo Bonifatii Johannem Schuckinck⁸⁾ et Hinricum Zaghelte⁹⁾, sexagesimo secundo undecim millium virginum¹⁰⁾ Hermannum de Meppis¹¹⁾ et Bernardum de Beverghern¹²⁾, sexagesimo quarto circumcisionis Christianum de Nova Domo, qui procurator^{12 a)}, sexagesimo sexto visitationis beatae Mariae Hermannum de Aldenberch^{12 b)}, Alfardum de Daventria¹³⁾, Wilhelmum de Embrica, qui procurator, supprior, postea in Dalem prior¹⁴⁾, et Randolphum de Daventria¹⁵⁾, septuagesimo Martini episcopi Ghe-

Hermannus Rallinck. Wesselus de Almelo. Hinricus. Johannes Smit senior. Johannes Smit. Hinricus de Linghen. Arnoldus de Zwolle. Hermannus de Delden. Ludekinus. Johannes de Noerthoern. Volmarus. — In Niendelinghen. Johannes Hesinghen. Bernardus. Rotardus. Hermannus bubulcus. Hinricus. Egbertus. Egbertus iunior. Bernardus iunior. Albertus. Lambertus. Johannes, Arnoldus opiliones. — In Baerle. Johannes cocus. Johannes Bouman. Johannes Volker. Hermannus Scyvenen. Gherbertus. Gherardus Mursman. Johannes Scyvenhem. Hermannus Swenderus. Theodericus de Heker. Lambertus de Benthem. Johannes de Ottensteyn. — Sorores. Lucka. Ghesa senior. Ghesa iunior. Jutta. Elseken. Ermgardis Krampe. — Summa tunc temporis monasterium inhabitantium centum viginti septem, id est viginti quatuor sacerdotes, IV clerici, LXXXIII (verschrieben für LXXXX) laici cum tribus conversis et VI sorores.

¹⁾ 5. Juni.

²⁾ Gestorben 1488. Bei Suur a. a. O. ist er nicht genannt; 1489 kommt ein gewisser Bernhard, wohl sein Nachfolger, vor (ebd. S. 57).

³⁾ 24. Juni.

⁴⁾ Gestorben 1505.

⁵⁾ Wann er Prior von Bödingen wurde, läßt sich nicht sicher feststellen. Am 22. November 1465 kommt noch ein Hinricus als solcher vor (Mitteilung des Staatsarchivs zu Düsseldorf). Über Otberts Tod heißt es im Memorienebuche von Bödingen (in demselben Archive): V. Aprilis anniversarium venerabilis patris Oitberti Swollensis, olim septimi prioris huius monasterii, professi in Noithorn, obiit 1483. Vgl. auch unser Nehr., wo sein Familienname Limberg.

⁶⁾ Gestorben 1516.

⁷⁾ Gestorben 1478.

⁸⁾ Gestorben 1470.

⁹⁾ Gestorben 1506.

¹⁰⁾ 21. Oktober.

¹¹⁾ Gestorben 1507.

¹²⁾ Gestorben 1508. ^{12 a)} Im Nehr. nicht zu finden. ^{12 b)} Gestorben 1521.

¹³⁾ Gestorben 1515.

¹⁴⁾ Als Prior von Dalheim kommt er in den Dalheimer Urkunden des Staatsarchivs Münster am 20. November 1493 (während am 29. August desselben Jahres noch sein Vorgänger Heinrich [Telget] genannt wird), am 13. Juli 1495 und am 28. Juni 1502 vor. (Die in der Zeitschrift f. vaterl. Geschichte Bd. 43, Abt. 2 S. 56 mitgeteilte Liste der Dalheimer Prioren, die für ihn keinen Raum läßt, ist also nicht ganz richtig). 1504 wurde er auch Prior von Frenswegen und starb am 18. November 1513 (Nehr.).

¹⁵⁾ Gestorben 1497.

rardum Dulken, qui procurator et prior¹⁾), septuagesimo tertio in nativitate Mariae Lambertum de Oldensael²⁾), septuagesimo quinto in cathedra Petri Johannem de Almeloe³⁾), septuagesimo sexto in annuntiatione beatae Mariae Gherardum de Zwollis⁴⁾), anno octogesimo Hinricum de Scopingem, qui procurator et supprior⁵⁾), et Hermannum de Delden, qui procurator, supprior et prior in Ezingen⁶⁾), octogesimo secundo conceptionis Mariae Johannem de Zwollis, qui procurator, supprior et rector in Langenhorst⁷⁾), octogesimo sexto Matthiae Ottonem de Ottensteen, qui procurator⁸⁾), et Johannem de Oetmersen⁹⁾). Istos prior Hubertus investivit et professionem illorum recepit.

Nonus prior Gherardus Dulken¹⁰⁾), in cuius electione anno octogesimo septimo in natali beati Augustini Godfridus de Daventria¹¹⁾ investitus est, octogesimo octavo in annuntiatione beatae Mariae Tricum de Zwollis¹²⁾ et Bernardum de Delden¹³⁾ prior investivit, octogesimo nono Augustini episcopi Johannem de Velt-husen¹⁴⁾), Antonium Dulken¹⁵⁾), Johannem de Horstmaria¹⁶⁾), nonagesimo Michaelis Gherardum de Ummen¹⁷⁾), nonagesimo secundo in annuntiatione beatae Mariae Rodolphum de Gronyn-gen¹⁸⁾), nonagesimo quinto Johannem de Daventria¹⁹⁾ et Wilhelmum de Monte Domini²⁰⁾ in die circumcisionis.

¹⁾ Er wurde am 28. August 1487 (vgl. unten) zum Nachfolger Hubert Oudecoeps gewählt und starb am 19. September 1504.

²⁾ Gestorben 1528 in Detmold.

³⁾ Gestorben 1501.

⁴⁾ Gestorben 1492.

⁵⁾ Gestorben 1506 als Prior in Birket bei Amersfoort.

⁶⁾ Bei Suur a. a. O. kommt er nicht vor. Auch ist er weder in den spärlichen Resten des Archivs von Marienkamp noch anderweitig zu finden (Mitteilung des Staatsarchivs zu Aurich), in den Recepta priorum von Frenswegen aber 1491 ff. als Prokurator, 1512 als Prior von Ezingen genannt und starb am 30. Juni 1516 (Nekr.).

⁷⁾ Gestorben 1514.

⁸⁾ Er war seit 1511 Rektor in Diepenveen und starb dort 1521; vgl. auch Lindeborn S. 163.

⁹⁾ Gestorben 1535.

¹⁰⁾ 1487—1504.

¹¹⁾ Später Subprior, gestorben 1528.

¹²⁾ Gestorben 1533.

¹³⁾ Gestorben 1554.

¹⁴⁾ Gestorben 1532.

¹⁵⁾ Gestorben 1507.

¹⁶⁾ Gestorben 1535 als Diakon. Er gilt für den Verf. dieser Chronik.

¹⁷⁾ Er starb als Diakon 1494.

¹⁸⁾ Gestorben 1512.

¹⁹⁾ Wohl identisch mit Johannes Dorre von Deventer, der als Subprior 1522 (1422 im Nekr. ist wohl Schreibfehler) starb.

²⁰⁾ Wilhelm von Heerenberg wurde 1513 Prior von Frenswegen und starb als solcher 1548.

Hos Deus centuplicet et numerum suorum in caritate multiplicet, ut in bono proficientes et perseverantes nomina illorum cum praedecessoribus sint in libro vitae.

Fuerunt et conversi magis circa prima investiti tempora: Hermannus de Monasterio, Arnoldus de Velua, Johannes de Epe, Albertus Hinrikinck, Johannes Havelt, Wilhelmus Godelinchem, Hertgerus, Gherardus Jacobi, Wilhelmus Diest.

Defunctorum obitus diem kalendarium exprimit.

Incipit pars secunda.

De quorundam vacillatione cap. 1.

Scriptura sancta non solum bona ad commendationem et provocationem, sed etiam prava ad detestationem proponit. Quapropter non ab re putatur, si quorundam temptationes et recidivations ad futurorum cautelam et avisationem recitentur. Sicut enim Deus et beata virgo Maria piorum obsequiis et perseverantia honorantur et delectantur sic impiorum dissolutione et exorbitatione inhonorantur et offenduntur, sicut vulgariter dicitur: *Qualis dominus et patrona, talis et familia*. Et quicumque in bono non perseverat, *canis reversus ad vomitum et sus lota in volutabro luti*¹⁾ dicitur, et *nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei*²⁾. Nam ingratitude committit, qui imitabilia bona deserens Satanam sequitur ad interitum. Hoc enim multis, ut patebit, experiens compertum est.

De duobus clericis suspensis cap. 2.

Circa quintum a prima fundatione annum³⁾ duo clerici huc ad conversionem venientes misericorditer suscepti sunt. Et cum iam modico tempore in deserto manna gustare coepissent, ad Aegypti etiam voluptates aspirare coeperunt. Nam de sua celesti vocatione ingrati effecti ad saecularem vitam regressi sunt. Quos dum diabolus per contemptum religionis ad mentis interitum pertraxisset, tandem etiam ad carnis interitum devolvit. Nam ita efferos et infrunitos eos fecit, ut iam quasi omnibus

¹⁾ 2. Pet. 2, 22.

²⁾ Luc. 9, 62.

³⁾ Also etwa 1399.

despectis excessibus ad crudelissima homicidia et capitalia peccata manus extenderent cruentas. Sed cum iam completa esset eorum malitia, *in operibus manuum suarum peccatores comprehensi*¹⁾ continuo ad mortem damnati et, sicut meruerant, laqueo suspensi sunt in civitate Monasteriensi, quamvis iudicis uxor de illorum iuventute ac elegantia et morte miserabili dolens pro illis frustra intercederet.

De iuvene submerso cap. 3.

Iuvenis quidam pristinis diebus a saeculo conversus in laicum familiarem receptus est. Qui multis etiam diebus satis obsequiosum et subiectum se exhibens omnium in se provocavit favorem. Sed tandem, nescio qua tentatione victus, inoboediens et contumax esse coepit. Et cum sibimet ipsi gravis esse coepisset, ad saeculum penitus rediit. Sed heu, post breve temporis intervallum cuiusdam rapidi fluminis impetu interceptus improvisa et miserrima morte submersus est. Ecce, qui religionis portum deseruit, indispositae mortis naufragium non evasit.

De duobus aliis male pereuntibus cap. 4.

Similiter tempore prioratus Theodrici de Vyanen²⁾ duo mediocris aetatis laici de ipsis occiduis mundi partibus ad conversionem venientes devote recepti sunt. Sed cum iam ob inolitae remissioris consuetudinem vitae novae conversationis austeritatem ac disciplinam fastidire et abhorreere coepissent, de hac Mariae domo etiam cum furto regressi sunt. Qui et ipsi nihilominus post breve temporis curriculum traditi sunt in interitum carnis. Nam unus illorum crudeliter rota quasi membratim multatus est, alter vero in cuiusdam obsidione castris saxo ad mortem collisus. Qui enim carnem suam cum vitiis et concupiscentiis sponte crucifigere renuerunt, supplicii infelicioribus et exercitiis exterminati sunt.

¹⁾ *Psalm. 9, 17.*

²⁾ *1401—1415.*

De quodam clerico desperabiliter titubante cap. 5.

Quidam insuper clerici coelestis magisterii doctrinam, qua *mites et humiles corde*¹⁾ fieri perdoceamur, fastidientes ad Babylonicae dignitatis celsitudinem aspirare coeperunt. Et propterea e Christi schola fugitantes diversis inimici laqueis capti sunt et impliciti.

E quibus unus civitatem Parisiensem adiens magistros saeculares avidissime coepit audire. Quorum magisterio non tam instructus quam destructus nec informatus, sed deformatus exitiali corporis languore corripiebatur. Qui prope extrema positus per socios, ut ad Deum se totaliter converteret et de animae salute serius recogitaret, admonebatur. Ad quae ille desperabiliter respondere visus est, cum diceret: „Iam nimium tarde est poenitere; nam in tali loco et inter tales aliquando fui, ubi per Dei gratiam poenitere satis fructuose potuissem, sed, proh dolor, nolui.“ Sic ergo, qui salutarem poenitentiam voluntarie refugerat, iam sine sacramentis miserabiliter extinctus fuit.

De alio clerico vitiose decedente cap. 6.

Alius quoque clericus de prope Zwollis oriundus, naturae itaque vivacis ac spectabilis plurimorum oculis graciosus placuit. Sed quia bonus non nisi specie boni decipitur neque bonum hominem diabolus per praecipitem impulsus deicere solet, etiam istum post sextum conversionis suae annum sub colore sanctae praedicationis et amplioris fructificationis temptator delusit.

Primum ergo propter praedicandi usum sacros quosque libros coram laicis in refectorio legere coepit, imprimis libellos, deinde maiores libros, tandem ipsam bibliam illis explanans. Tandem vero ingenii sui industria et verbosa eloquentia quasi propriis instrumentis illaqueatus est et ad saeculum reversus mox in sui perniciem maiorem sacris ordinibus ac sacerdotio consecratus. Verum quia e dominico grege iam semel seductus, insuper adeo infrunitus effectus est, ut ad publica flagitia et damnosa scelera libere pertraheretur.

¹⁾ *Matth. 11, 29.*

Nam in primo perversionis suae anno sponte fatebatur dicens: „Ecce, tot inimici laqueis undique perstrictus sum et tantis flagitiis reus, quod, si hodie me contingeret de hac vita migrare, utique sine spe veniae ac misericordiae me miserabiliter discedere oporteret.“

Qui tamen post illum diem multis adhuc annis in saeculo supervixit, et de illo nihil aliud audivimus, nisi quod mala malis usque in finem addiderit, thesaurizans sibi iam per poenitentiae contemptum, per angelicae societatis desertionem, per rationis et voluntatis perversionem, per coelestis panis, scientiae ac sapientiae, ordinum ac sacramentorum abusum, per alienorum contrectationem Deum provocans. Quem tandem pestilentia sic indispositum abstulit et actibus nefariis finem dedit.

De clerico parentes visitante seducto cap. 7.

Clericus quidam ex partibus superioribus de Brubach¹⁾ aliquando receptus est. Iste probationis suae tempore bonae indolis decus fratribus ostendit et quasi totius effigiem virtutis exhibuit. Nam coquo subministrare deputatus satis humiliter et hilariter mirantibus cunctis obsequabatur.

Cuius felicitati hostis invidens hac abintus temptatione quasi a longe eum permovere aggressus est, ut propter paternae dispositionem hereditatis, imo propter temporalium praecisionem rerum omnimodam parentes invisere eisque ultimum valefacere deberet et continuo ad suum monasterium reverti ac inibi deinceps in omni spiritus libertate Domino servire. Cum iuvenis hoc per tempora sentiret ac persentiret, tandem etiam consensit. Cum ergo inimici caput non observaret, sed venena illius gustasset, ab illa hora repatriare deliberavit et conclusit et a priore licentiam petiit. Prior vero rem altius perpendens conceptum dissuadere voluit. Sed clericus, quod placabiliter obtinere non potuit, pertinaciter extorsit.

Repatriavit itaque et in illo tempore pernicioso diaboli cauterio adeo inustus est, ut, quamvis ad monasterium rediret, pristinae tamen conversationis et innocentiae mensuram nunquam

¹⁾ Wohl Braubach am Rhein (Hessen-Nassau).

recuperare videretur, et, quod peius est, tepidus et remissus factus iam cunctis vomitum provocaret, utpote qui spiritu coeperat, sed carne consumaret. Ad ultimum vero, cum *nec calidus esset nec frigidus, sed tepidus*¹⁾, ex ore Domini et de congregatione iustorum in mundi sentinam eiectus est et quasi alter Myphiboset utroque claudicans pede Deo odibilis et mundo abominabilis videbatur et demum sine respiratione in saeculi voluptatibus interisse nuntiatus est.

De veste saeculari reprehensio cap. 7 [!].

De familiaribus laicis in pistrino quidam praeerat homo utique, quantum apparuit, non contemnendae conversationis. Iste licet a foris disciplinatus apparuit, tamen subtus alia vestimenta, tunicam quandam satis accurtatam et constrictam, quam de saeculo fortassis detulerat, occulte gestabat. Sed quia *spectaculum facti sumus angelis et hominibus*²⁾, haec Deo, Mariae et sanctis displicere compertum est. Nam beata virgo Maria dicitur alteri revelasse, ut eidem insinualet, quod illam saecularem vestem deponere deberet, si Mariae familiae sociari et annumerari desideraret. Ecce, qui et hoc, *quod intus est paropsidis*³⁾, mundare oportet.

Cuiusdam laici irresignati lapsus cap. 8.

Cum alius quidam laicorum huc ad conversionem venisset, homo curialis et senex, et praediolum quoddam cum agellis suis monasterio delegasset, simplicem tamen oboedientiam ac plenariam rerum facere resignationem non consensit. In monasterio ergo quasi praebendarius et partim quasi hospes, partim quasi familiaris vivebat, unde pro libitu ad comessiones exhibat et redibat.

Quapropter a priore et fratribus crebro admonitus est, ut ad Dominum se plenius converteret et non in duas partes claudicans terram duplici via ingrederetur. Qui persuasionibus motus illud

¹⁾ Apoc. 3, 15 f.

²⁾ 1. Cor. 4, 9.

³⁾ Matth. 23, 26.

se facturum spondit, sed praevalente consuetudine non fecit. Spe tamen uberioris emendationis desperabiliter eiectus non est.

Sed cum ille incessanter saeculi negotiis se implicaret, tandem in profundiore foveam, quam illi inimicus diu aperuerat, miserabiliter praecipitatus est. Qui tardius lapsum suum advertens et celare cupiens plus rubore quam dolore, quantum apparuit, motus cuidam saeculari sacerdoti confessus est et ab illo specietenus absolutus. Et sic ad monasterium rediens inter Christi gregem candidum se permiscebat et inter convivia dominicae mensae absque nuptiali veste se ingerebat.

Tam manifestam denique iniuriam in coelo sancta Dei genitrix videns et non ferens quadam nocte post sacras matutinas filium suum Jesum in ulnis baiulans priori per visum apparuit quodam pallio candido, sed sanguineis tincturis undique deturpato circumamicta. Plurimum ergo expavescens prior ait: „An ego sum ille, domina mea sanctissima, qui pallium tuum tam deformiter maculavit?“ Ad hanc vocem illa omnino nihil respondit. Tunc prior propius accedens et ad veniam supplex proruens denuo, an ipse esset, qui sic reginae pallium deturpasset, requisivit. Tunc beata virgo Maria respondens ait: „Tu quidem non es, sed certe ille familiaris vester, qui se nimis hominibus saecularibus admiscere solet. Sic, ut vides, suis sanguinibus mantellum meum defoedavit.“ Et continuo, quis esset, nomine designavit. Prior itaque conterritus hominem modeste examinavit. Sed ille celare arbitrans nihil sibi sinistrum in saeculo contigisse affirmavit. Tum demum prior, quid viderit, aperiens iterum atque iterum ad revelationem hominem provocat. Quo audito tandem lapsum cum lacrymis recognovit et, quod visio vera fuit, asseruit¹⁾.

Hic clare advertere possumus, quam sit periculosum et ruinae proximum saeculi negotiis non plene renuntiare, et quam stultum peccata non proprio, sed alieno sacerdoti tantum confiteri, et quam iniuriosum Mariae aliquem de illius familia vitiis involvi, et quam gratissima virginis patrocinia, quae ipsa domum hanc et fratres et familiares materna caritate quasi pallio suo refovet. Quales ergo oportet esse in sanctis conversationibus, qui tantae puritatis amplexibus astringuntur? Sint proinde puri, sint nitidi, qui tam candidissimo velantur pallio. Sint grati, sint devoti, qui tanta dignatione sunt praeventi. Sint unanimes et

¹⁾ Dies ist die oben S. 102 angekündigte Geschichte. Der Prior ist also Loder. Busch erzählt S. 181 diese Vision ähnlich.

concordes, qui tanta vicinitate sociantur. Nemo alium parvipendat vel contemnat, nemo dicat: „Quid ad me?“, cum fratrem placare poterit. Sed etiam licita interdum praetermittantur, ut unanimitas servetur et Mariae pallium non discindatur. Sed tam maiores quam minores cogitent: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*¹⁾, ut non scandalizetur aliquis, pro quo Christus mortuus est et ut quisque, quantum in ipso est, cum omnibus hominibus pacem habeat et offendiculum fratri nullatenus ponat. Non enim sufficit sub Mariae pallio non litigare, sed communem benignitatem et affabilitatem omnibus ostendere oportet.

De quodam laico, qui ferventer incepit, sed recidivavit cap. 9.

Laicus quidam, arte lignifaber, circa monasterii primordia ad conversionem susceptus est, qui omnes paene laicos in spiritus fervore et carnis mortificatione praecellere videbatur. Nam in ipsis laboribus, ut alios alleviare posset, se ipsum gravioribus et ineprioribus oneravit instrumentis. Vespere autem facto, quando omnes circa focum ad repausandum convenerunt, ipse multitudinem declinans secretum petiit et ad mentis devotionem se excitavit. Naturae quoque strenuus castigator flagellum quoddam cum cruciferatis nodulis fecit, quo se continuis noctibus adusque sanguinem laceravit. Huius ergo hominis fervor tandem cunctis innotuit non quasi commune virtutis exemplum, sed tamquam novi miraculi signum notabile.

Interea lividus serpens, qui piis actibus saepe cruciatur, tanti flammam fervoris extinguere conatus est tantaeque lucis lampadem exsufflare. Prima denique suggestionem persuasit, ut propter veram in solo Domino libertatem habendam quantocius repatriaret et patrimonii radices abscideret et de universis mundi retinaculis se expediret. Cui propter radicatae virtutis faciem a priore et fratribus facile, sicut petiit, indultum est.

Sed dum in patriam inimici dolo pertractus esset, mox consanguineorum lenociniis delusus saeculique commerciis est inquinatus. Tunc quoque fervoris ignem hostis extinxit et lucernam exsufflavit. Salutare quoque signum thau, quo frontetenus signatus fuerat²⁾, extersit et caractere bestiae intus et foris a plan-

¹⁾ 1. Cor. 6, 12.

²⁾ Vgl. oben S. 193.

ta pedis usque ad verticem consignavit. Intus enim saecularem animum, foris mundialem habitum reassumens omnibus factus est detestationis opprobrium, quibus aedificationis exemplum prius extiterat. Ad monasterium ergo canonicorum regularium in Zwollis¹⁾ missus est, qui in suo monasterio se diutius sustinere non potuit. Sed dum nec ibi requiem inveniret, totaliter ad Babylonicam captivitatem revertebatur. Sed heu! Tunc statim omni religionis pudore postposito praeceps ad quaeque vitia diabolo pertrahente ferebatur, quia, dum animum mutavit, habitum exiit et vestimenta varia et discoloria cum petulantibus ac clenodiis obfucavit. Caputium quoque ultra sui conditionem generis argenteis perstravit flosculis. Quem inter cetera insuper mala immundus spiritus ad fornicationem pertraxit et filios fornicationum procuravit. Sed et per infames tandem gressus quoquo terrarum orbe vagabatur effrenis.

Sic diversis aliis ex Mariae Nemore ac praesidio fugientibus diversa mala evenerunt. Nam et quidam post decessum conscientiae vermem, qui interiora corrodit, se dare non valentes et proprium remorsum non ferentes sibimet ipsis graves et intolerabiles facti sunt. Et quia semper praesumit saeva perturbata conscientia, quidam ex animo, sicut ipsimet postea fatebantur, seditiones in populo saepius concitaverunt, ut vel sic interficerentur et mala conscientia sopiretur. Heu miseri, in tantum excaecati, ut non viderent se tunc maiores et infernales incidere poenas. Alii vero coniugia sortiti vel pauperrima vel iurgiosa vel tristissima vitam duxere miserrimam, alii infirmitatem, paupertatem, pericula et summam infelicitatem tolerantibus suis periculis tunc avisaverunt omnes, ut et ad Dominum quantocius converti et in conversione ferventer perseverare decernant.

Explicit pars secunda de quorundam vacillatione ac vitio apostasiae.

¹⁾ *Bethlehem.*

Incipit pars tertia.

De impugnatione diabolica, sed divina protectione cap. 1.

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos¹⁾. Hoc ista congregatio cum magna admiratione et gratiarum actione dicere potest. Tam varia enim mala hostis ab initio contra illam infremuit, ut si non plures ac fortiores cum illa fuissent, proficere ac persistere non posset. Nam primum vicinos ac plebeios contra illam inimicus commovit, et, cum nec sic proficere se videret, etiam alios malevolos ac belligeros armavit, tandem tyrannicos principes et nobiles, demum gentes et regna in eius odium deturbavit, ut et elementa et aerem, coruscationes et tonitrua in illius perniciem commovere niteretur.

Imo in tantum antiquus hostis de domus profectu, animarum salute, Dei laude et honore virginisque Mariae veneratione doluit, ut circa monasterii primordia per quendam obsessum fateretur, quod videlicet ipse et complices sui tam implacabili invidia adversus istam congregationem essent inflammati, ut, si mater Christi eam ita potenter non defenderet et ita fideliter non tutaret, vellent eam foris tam gravibus impetere turbationibus et intus tam implexis temptationibus, rancoribus ac invidia et dissensionibus confundere, quod unus fratrum erga alium nec per unum quidem diem vel noctem posset durare. Sed benedictus Dominus, qui omnem inimici machinationem quasi ventum, fumum et umbram deduxit ad nihilum, ut nec in personis nec in possessionibus vel rebus pravitatis suae consequeretur effectum.

Fundata est enim domus Domini super firmam petram et super firmamentum apostolorum et prophetarum, videlicet super

¹⁾ *Psalm. 123, 1 ff.*

contemptum saeculi, super sanctam paupertatem ac simplicitatem, communem caritatem, zelum animarum sine personarum acceptione, quod solum fuit negotium apostolorum. Nihil ergo inimicus proficere potuit, sed universa machinatio super ipsum et vasa illius decedit, ut qui monasterio invidentiam, oblocutionem damna vel exterminium intentarent, ipsimet invidentiam, oblocutionem, damna, exterminia, mortem et pericula maxima tolerantes inciderent foveam, quam foderant.

Quod ut evidentius elucescat, subsequenter declarabimus.

De repentina cuiusdam morte

cap. 2.

Igitur in principio foundationis monasterii, cum adhuc quasi recens esset plantarium, antiqui hostis invidia quendam huius terrae advocatum, hominem denique saevum ac belligerosum furenter contra ipsum inflammavit. Nam cum quadam vice per monasterium equitaret, terribilibus ac minacibus coepit vocibus contra Christi servos exclamare et complices suos, ut domos istas ignibus et cineribus traderent, exhortari. Et certe illum, quam cito monasterii fines exiit, divina ultio apprehendit. Nam civitatem Noirthorn, quam petiit, vivus non intravit, sed improvisa mors in ipso brevi itinere ipsum miserabiliter extinxit.

De advocato saeviente occiso

cap. 3.

Alius quidam etiam ipsius comitis advocatus et minister dictus Bruno, cum servos Dei quadam iniusta exactione pro accommodanda siligine iterum atque iterum impetisset, isti propriam allegantes inopiam iuste se excusabant. Unde ille continuo ira inflammatus adversus eos infremuit et damna et inimicitias minabatur. Et ecce, mox cum e monasterio recessisset, divina ipsum ultio involvit. Etenim a quodam vicino rustico, antequam Noirthorn perveniret, occisus est. Ipse enim exactor pecora rustici rapere coepit et ad mactandum in Benthem deducere. At vero rusticus agrum suum demetens et hoc aspiciens quasi nudus camisia tantum indutus absque armis et cultello occurrit et contra

raptorem praevalens et illius cultrum accipiens interfecit. Et sic, qui Dei servos persequi ac spoliare disposuit, proprio cultro prius necatus est.

De simili morte Torneye cap. 4.

Simili modo dirus quidam aemulus ac persecutor monasterii dictus Torneye, qui filius naturalis domicelli Christiani de Benthem¹⁾ extitit, sublatus est. Quamdiu enim vixit, non cessavit persequi monasterium et servos Christi. Quamvis enim propter tyrannidem suam prius ab officio suo fuisset semotus a pio comite Bernardo, tamen illo mortuo confestim adversus Dei famulos erigi coepit, ut conventus per censuras ecclesiasticas contra ipsum agendum decerneret. Sed Dominus pugnavit pro Israel inimicum inopinata morte et miserabili percutiens. Siquidem cum in quodam nuptili convivio convenisset et ibidem inebriatus suam consuetam temeritatem ac tyrannidem exercere temptaret, uno gladii ictu percussus nec unicum quidem verbum proferens interiit.

De servo, qui factus est amens, cap. 5.

Contigit item, quod Rodolphus de Covordia et illius uxor Lutgardis placitarent et quandam litem iudicalem contra monasterium haberent propter iniustam quorundam reddituum annuorum detentionem. Dum ergo dictae matronae quidam nepos cum quibusdam aliis circa labores occupatus esset, quidam de monasterio laicus supervenit. Quem ille servus videns et dominorum suorum vicem alte dolens terribilia contra conventum verba evomere coepit et fulminare ac protestari dicens: „Ecce, gravamina tanta et dispendia propter illos despicabiles ac miserimos lullardos in Vrendeswede dominus ac domina mea sustinent. Fortassis pro parva et levi re ducerem, ut omnibus his vexationibus per occultum incendium medelam et finem facerem.“

¹⁾ Vgl. über Christian oben S. 12.

Quod verbum saecularis homo audiens, sed utique fidelis iuvenem illum talia minantem corripuit dicens: „O miser homo, cur non times Deum? Numquid in aeternum hoc tibi in bonum cederet, si tu monasterium tale per incendium devastares, ubi Deo tot missarum sollemnia, tot illi et Mariae devotionis obsequia per fideles famulos quotidie exhibentur?“

Sed quid contigit? Servus ille post illam crudelem comminationem tertia die mente captus et in insaniam versus superiora domus occulte conscendit, ubi subita morte praeoccupatus minatoria verba sine effectu finivit. Unde is, qui monasterio celerem finem imponere voluit, ipse sibi prius mortem lamentabilem procuravit omnibus miserabile spectaculum exhibens, ne quisquam minas vel iniurias Dei servis praetendat.

De Arnoldi Brantlicht interitu cap. 6.

In istis partibus quidam decurio Arnoldus de Brantlicht extitit, vir utique strenuus et crudelis, quem sua iam atrocitas longe lateque famosum effecerat. Et hunc contra Dei servos diabolus quasi tyrannidis suae familiarem militem implacabiliter inflammavit. Quapropter occultis machinationibus et aperta cominatione contra eos incessanter insanivit. Cum ergo breviter ante suam mortem prae foribus monasterii esset, nec de fratrum manu potum sumere nec eis pacifice loqui prae cordis pertinacia acquievit, sed pace vacuus et indignatione plenus recessit. Tunc post quartum decimum diem ante civitatem Koerbecke in quadam congressione¹⁾ cum multis aliis decurionibus et satellitibus captivatus est et in fide receptus. Sed nescio, quo occulto Dei iudicio permissum fuit, ut omnibus concaptivis suis in fide receptis et in pace assecuratis ipsum solum nec communis fides nec promissa pax securum fecit. Nam quamvis a proelio cessatum fuit, ipse tamen solus crudelissimae mortis plagam incurrit, revera qui pacem odivit, quam erga famulos Dei servare contempsit, quos tamen deinceps fatigare non est permissus.

¹⁾ Gemeint ist die sog. Padberger Fehde, in der am 20. Juni 1413 die Bürgerschaft von Korbach über den westfälischen Raubadel unter Führung der v. Padberg siegte. Vgl. Kluppels *Waldecker Chronik* hrsg. von Jürges in: *Waldecker Chroniken* (Veröff. d. Hist. Komm. f. Hessen und Waldeck 7, 2), Marburg 1914, S. 45 ff., das Korbacher Stadtbuch ebd. S. 110 und die ebd. S. 44 Anm. genannte Literatur.

Hinc alta mente pertractandum est, quanta Dei ultione plec-
tendi sunt, qui contra hanc domum violentas manus extendunt,
si tam celerem atque crudelem mortis vindictam acceperint, qui
solis verbis aut voluntate contra illam pugnaverunt. Et si tam
miserabiliter percussi sunt, qui eam minis tantummodo insectati
sunt, quomodo putamus percutiendos, qui eam fraudibus, violen-
tiis, rapinis aut iniustis exactionibus impetere praesumpserint?

Ceterum, si tanta percussio facta est hostibus saecularibus,
quanta, putamus, ultio sequeretur, si inimici illius domestici
eius fierent vel in rebus laedendo aut, quod peius est, vitiis et
perversitatibus nocendo.

De miseria Rodolphi de Covordia

cap. 7.

Ipse Rodolphus de Covordia et Lutgardis, uxor eius, de qui-
bus supra dictum¹⁾, in castro Laghe residentes quosdam annuales
redditus monasterio solvere debuerant, sed scienter dare recusa-
bant. Idcirco conventus in lite iudiciaria cum ipsis diu contende-
bat. Et factum est, quod post citationes, excommunicationes,
appellationes longam restem cum eis pertraherent. Sed cum nec
sic sano consilio acquiescere nec iusto iudicio contentari ulla-
tenus vellent, quadam manifesta maledictione temporaliter sunt
addicti, ut in cunctorum oculis fama et rebus miserrime deperi-
rent homines urbani et locupletes. Et tandem de castello et de
illius suburbanis eiecti ad plebeiam egestatem devenerunt. Ecce,
quam iuste perdit propria, qui iniuste detinet vel usurpat aliena.

De Bertoldo Herthe in equis correpto

cap. 8.

In partibus Westphaliae quidam castellanus fuit dictus Ber-
toldus Herthe, quem antiquus hostis, ut his Dei servis occulte
rapacitatis laqueos obtenderet nequiter, instigavit. Hic dum se
aliquando cum suis complicibus ad expeditionem disponeret, ut
ad bona crucifixi manus extenderet rapaces, contigit illum cum

¹⁾ S. 147.

suis in Nyenborch pernoctare. Et dum isti tenebrarum filii intempesta nocte surgentes caballos ascendere vellent, terribili quodam Dei iudicio eos quodammodo leonibus saeviores et ursis truculentiores reppererunt. Nam et morsibus et calcibus contra suos ascensores furentes ipsos in stuporem converterunt. Ad quod denique terribile miraculum ille capitaneus eorum Bertoldus animo consternatus est et rem ipsam ad divinam ultionem statim retorquens malae praesumptionis mentem remisit atque in illa ipsa hora votum vovit Domino se nunquam huic monasterio aut aliis quibuslibet spiritualibus personis deinceps nociturum.

*Ecce, quomodo non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel*¹⁾). Ut ergo a malis hoc monasterium custodiret Dominus, ibi procul dubio in Novo Castro armavit creaturam ad ultionem contra insensatos. Quos enim homines expugnare decreverant, pro his nunc bruta animalia pugnabant.

Alia protectio contra diversos.

Cap. 9.

Aliquando quidam homines vagi et mente corrupti fuerunt, qui istud monasterium beatae virginis aperto opere non praesumpserunt impugnare, sed certe clandestinis latrociniis aut furtis equos aut pecudes vel alias quaslibet res conati sunt auferre. Et talibus statim ex divina ultione aut inprospecta mors sicut fur in nocte ita supervenit aut certe illa, quae abstulerant voluntarie, postea reddebant invite et cum rubore.

Obcaecatio et stupor Arnoldi Brantlicht

cap. 10.

In principio etiam foundationis, cum ipsum monasterium adhuc sepibus et fossatis minus esset munitum, ipse supermemoratus Arnoldus Brantlicht quadam nocte, ut monasterii equos clam abduceret, domum agriculturae cunctis fratribus laicis post diurnum laborem repausantibus intravit. Et quamvis ei domus ipsius situs et status equorumque stabula et praesepia ab ante praevisa et nota fuissent, tamen ita divino nutu homo permissus est quasi

¹⁾ Psalm. 120, 4.

amens domum ipsam girare atque regirare, quod ad equos prope ante ipsum positos nequaquam pertingere valeret. Unde tandem ipse manu vacua, sed mente iniquitate plena recessit. Qui postea saepissime, quod sibi acciderat, tamquam pro magno miraculo aliis enarrare consuevit.

**De quibusdam, qui depraedaturi erant monasterium
et erraverunt,
cap. 11.**

Anno Domini millesimo quadringentesimo primo¹⁾, dum apertae inimicitiae essent inter utrasque comitivas istas, scilicet Benthem et Tecklenborch, quidam decurio nomine Hinricus Brantlicht cum decem et octo viris armatis in equis, ut monasterii bona excuteret, expeditionis iter arripuit. Sed omnipotens Deus illum cum suo comitatu in publica strata et via notissima oculis apertis per devium iter oberrare permisit et fecit, ut ad monasterii fines non pertingerent. Illi ergo errabundi viatores cum incassum se laborare conspicerent, rem ipsam ad divinae prohibitionis miraculum retorserunt. Et capitaneus ille voto se constrinxit nunquam de cetero aperte vel occulte huic monasterio dispendium inferre.

**De eodem
cap. 12.**

Sic anno, quo supra, postquam inter utrasque terras pax fuerat reformata, ipse comes de Teckleborch coram comite de Benthem protestabatur, quod ipse vehementi desiderio saepe collecto exercitu expeditione aggressa, de monasterii bonis praedam abducere conatus fuerit. Sed continuo vel Emeza vel Vechta plus solito excrevit ac inundavit aut certe aerem nebula obfuscavit aut insidias expavit incidere ita, quod nunquam desiderium suum in praemissis explere potuerit. Ad haec omnia comes de Benthem confidenter respondit dicens: „Hoc mihi credite, quod in

¹⁾ Das Jahr ist kaum richtig. Bereits am 25. Oktober 1400 sah sich der Graf von Tecklenburg zu einem demütigenden Frieden mit seinen Feinden, darunter Bentheim, das inzwischen zur Gegenpartei übergetreten war, genötigt (Müller in der oben S. 25 Anm. 2 genannten Schrift S. 213).

istis servis Dei, quos vos tamquam peripsema huius mundi reputatis et iniuste persecuti estis, maiorem quam in toto territorio meo fiduciam habeo. Hi enim quamvis nec gladio nec lancea me adiuvant, tamen diu noctuque suis orationibus et suffragiis pro me pugnant." Quae comes de Tekeleborg audiens de cetero in servos Dei maiorem concepit amorem desiderans et ipse in suo territorio tales habere.

**De gratissima beatae Mariae virginis assistentia
et defensione
cap. 13.**

Cernens adhuc ille animarum insidiator diabolus, qui nec sic per mediocres et extraneos persecutores adversus hanc domum praevalere aliquatenus potuerit, contra hoc castrum Dei tyrannos instigavit potentiores et viciniore. Incitavit namque tyrannum utique crudelem ac famosum ipsum domicellum de Stenvordia¹⁾ contra dominum Bernardum, comitem de Benthem, ad apertas inimicitias²⁾, ut tali occasione non tam hanc terram expugnare quam etiam hoc sanctum monasterium disturbare posset.

Tandem itaque insidiosa nacta occasione ad huius terrae terminos et ad vicina monasterii loca cum valida manu pervenit, denique civitatem oppugnavit, fecit incendia, duxit captivos, spolia congregavit.

Quibus audenter patratis totum exercitus robur adversus monasterium ordinavit sciens nimirum, quod ipsum comitem, quem persequeretur, in nulla re gravius offendere posset, quam si hoc carissimum illi suae foundationis monasterium devastaret. Quapropter cum ingenti pavore pusillus Domini grex crudelem tanti tyranni adventum exspectavit, de quo nihil aliud restare praesumebat nisi omnium aedificiorum suorum cineres, bonorum cunctorum depraedationem ac direptionem et totius congregationis ruinam. Et cum in tanta necessitate et calamitate nulla adesse praesidia humana sciret, ad omnium consolatricem tribulatorum, Mariam virginem, solummodo confugiendum securius duxit. Tota namque beatae virginis haec familia ad ecclesiam

¹⁾ Ludolf VI. 1394—1421.

²⁾ Von dieser Fehde ist sonst nichts bekannt. Doch ist das Verhältnis zwischen den beiden Herren trotz der nahen Verwandtschaft (vgl. S. 12) zeitweise in der Tat wenig freundschaftlich gewesen; vgl. Jung S. 303.

congregatur, ubi ad patronam et ad Dominum lacrymae ac preces, litaniae et obsecrationes profunduntur et celebris de beata virgine missae decantatio agitur. Sed ubi sunt misericordiae tuae antiquae, o piissima domina, mater gratiae, mater misericordiae? Reminiscere miserationum tuarum et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.

Sed non te deseram, ait, neque derelinquam. Et ecce, mox cum multitudine coelestis exercitus rex gloriae descendit dilectae sibi familiae consolationem praesentiae suae exhibens, cui pacem dedit et benedictionem pariter infudit. Ipsa igitur familia tantis coelestibus munita praesidiis hostibus quasi castrorum acies ordinata apparuit. Unde et illi minaces hostes dicere poterant: „*Fugiamus Israelem; Dominus enim pugnat pro illis contra nos*“¹⁾. Quid plura? Mox enim, ut divinam potentiam tyrannus contra se agere praesensit, obriguit, trepidavit, expavit et feritatis animum revocans ac elevationis vexilla deprimens beatae Mariae virginis nemus intrare non praesumpsit, sed certe reversus est retrorsum nullo hominum resistente ac persequente. Ecce, Mariae patrocina et quam bonus Dominus sperantibus in eum et *turris fortitudinis a facie inimici*²⁾.

Ista contigerunt anno Domini millesimo quadringentesimo secundo.

Coelestis exercitus videtur missus.

Cap. 14.

Iterum alia vice domicellus recollecto exercitu viribus re-
sumptis patenter inimicitiae causa exercendae huius terrae fines
ingressus est. Et antequam mali quidquam ageret, quendam
magnae multitudinis armatum globum se contemplari ac contra
ipsum accelerare putabat. Unde ipse multum reveritus fugit
nemine persequente, porro cum in illo tempore nulla populi ar-
mata multitudo adversus ipsum recollecta fuerit, sed quia om-
nipotens Deus fortassis populo suo invisibiles suos milites in auxi-
lium miserat eosque tyranni oculis invisibiliter obiecerat, quemad-
modum circa Helizeum legitur factum. Tandem vero tyrannus
videns se contra istam terram, in qua servi Dei habitabant, omnino
praevalere non posse, prius infracta pacis foedera quantocius re-
formare satagebat.

¹⁾ Exod. 14, 25.

²⁾ Psalm. 60, 4.

De obsidione Nyenhues cap. 15.

Sed coluber lividus nec sic destitit. Et quia halitus illius prunas ardere facit, inter episcopum Traiectensem et comitem de Benthem¹⁾, implacabilem furoris flammam suscitavit hoc modo.

Primo crudelem et propinquiorem monasterio tyrannum commovit, Wolterum de Covordia, qui prope fratrem suum in castro Laghe resedit manusque violentas in bona crucifixi extendere non erubuit. Nec mirum, siquidem et ante breve tempus inter cetera crudelitatis suae opera ipse proprium germanum, scilicet Rudolphum de Covordia de castro expulit et ad miserandam inopiam devenire fecit²⁾. Cui ergo parceret, qui proprio sanguini non pepercit?

Ex occasione ergo sequenti contra monasterium tyrannizare coepit. Est quidam fluvius inter utrasque duorum dominorum terras defluens, qui Dynckele dicitur, quem specialiter pro suo dominio ac iurisdictione ex antiquo, quod et veterum relatio hominum attestatur, comes de Benthem pro tempore sibi appropriavit et appropriat. In quo quidam fluvio colonus monasterii Broeckman secundum veram antiquorum assertionem in ipso recto cursu piscinam seu stallum proprie dictum et piscationem noscitur semper habuisse et habere. Huius rivuli consuetum decursum ille Wolterus obturare et ad suum commodum reducere super molendinum in Laghe in detrimentum monasterii et etiam comitis, cuius molendinum in Nova Domo agit, perniciose conabatur. Et cum haec semel et iterum, imo saepius faceret Wolterus, motus propter hoc socer comitis de Benthem, domicellus de Stenvordia, exercitum validum contra ipsum Wolterum misit et ipsum et omnia loca vicina despoliaverunt, oves et boves et pecora multa tollentes et ea ad castrum in Nova Domo deducentes.

Ista spoliatio utriusque terrae odii seminarium fuit. Factum est enim, ut episcopus Traiectensis tantis malis quamvis invitus implicaretur. Nam optimates terrae eius et curiales nobiles et populares, sed et mulierculae concitatae stridebant dentibus adversus hanc patriolam et contra congregationem istam, terrae

¹⁾ Über diese Fehde zwischen Eberwin von Güterswick und Bischof Friedrich von Utrecht 1317/18 sind die sonstigen Nachrichten zusammengestellt bei Jung, Cod. dipl. Nr. 158 S. 334 ff. Vgl. auch Möller S. 225 f.

²⁾ Vgl. oben S. 149.

suae vicem dolentes et insuper quasdam antiquas causas rememorantes. Sic denique contra hanc patriolam validus adunatur exercitus, et arcta quadam obsidione ipsum castrum Novae Domus, huius patriae porta, murus et antemurale, vallabatur. Contra ipsum munitiones et aggeres fiunt et universa expugnandi machinamenta praeparantur. Impugnatur itaque castrum, sed castrenses repugnant. Saevit princeps mundi huius non solum contra castrum, sed etiam contra monasterium. Et propterea non sufficit antiquo adversario ex uno latere hostilem adduxisse exercitum, sed etiam ex alio latere alium adduxit hostiliorem, ut vel illi periculosius monasterio nocerent et ipsum expugnarent, qui potius defendere debebant.

Posita est ergo domus Domini inter duos validos ignes hinc inde sibi e vicino minaciter incumbentes. Inter tantas angustias ac pressuras deprehensi fratres ingemiscunt et rerum depraedationem, monasterii exustionem et suam dissipationem velut e vicino pertimescunt. Mira siquidem et terribilia fiebant, ut per machinamenta, bombardas et tonitruosa aer concitaretur et terra ipsa per multa locorum spatia contremisceret et fenestrae monasterii tinnirent et domus trepidarent. Unde Christi familia mærens sedebat nesciens, quid in tanta angustia eligeret. Proinde ad divinum patrocinium fiducialiter advolare censuit et preces ac suspiria ad Dominum funduntur et pro liberatione terrae pacis hostia immolatur.

Cum ergo venisset tempus miserendi, *prospexit de excelso sancto suo, Dominus de coelo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum*¹⁾). Divina enim operatione antiquus adversarius ac potestates aereae, intentores malorum, a populo semotae sunt, et terris est pax reddita et amicitiae foedera sunt reformata. Verumtamen in tanto rerum turbine et inter validos in circuitu ignes monasterium ac familiae Mariae divinitus tam potenter servabatur, ut in personis, possessionibus, pecoribus, iumentis et universis rebus nec unum pilum vel granum videretur amisisse gloriosa virgine suos servos undique illaesos et intactos quasi pupillam oculi custodiente.

Haec anno Domini millesimo quadringentesimo decimo octavo.

¹⁾ *Psalm. 101, 20, 21.*

De Woltero de Covordia superato
cap. 16.

Postquam vero Traiectenses territorium istud Deo permittente ad tempus presserant, non tamen oppresserant et ipsum castrum non utique hereditarie, sed tantummodo pro pacis pignore obtinissent, tunc ipsi praefato Woltero de Covordia ad custodiendum committebatur. Et ecce, sicut prius iterum extendit ad iniquitatem manus suas contra monasterium crudeliter desaeuens, siquidem quendam de monasterii colonis in Herdinghen captivans abduxit bovesque illius despoliavit iterumque alibi monasterii segetes et blada per manifestam ac violentam iniustitiam usurpavit. Butyrum quoque et sal, sicut de Zwollis navigio defferebantur, in Nova Domo violenter detinuit. In Herdinghen multas arbores de monasterii locis succidit.

Cum ergo haec et his similia saepius actitaret et monasterium damnificaret et laederet, conventus zelo domus Dei ductus altiori consilio excogitare coepit, quali remedio eius tyrannidem remove posset. Unde gladio et arcu ecclesiasticae censurae per conservatores ordinis et iudices apostolicos adversus illum congressum est. Et post multos labores et inquietudines tandem victus et excommunicatus est et universa restituere compulsus.

Quocumque enim se convertit, ibi propter ipsum interdictum ecclesiasticum servabatur. Coactus itaque reddidit omnia anno Domini MCCCC tricesimo. Et nihilominus divina ultio ipsum deinceps non deseruit adeo, ut usque ad finem vitae in corpore, rebus, filiis, filiabus nunquam prosperatus est. Siquidem primogenitus eius contractus et claudus effectus est. Primogenita vero nubilis et pulcherrima virgo amens et fatua est facta. Ipse autem in proprio corpore quotidie deperiit et tandem apoplexia tactus ex hac vita elinguis et excommunicatus miserabiliter decessit. Et post ipsum tota filiorum posteritas e castro Laghen radicitus est evulsa.

Qui locus secundum rectissimam interpretationem in triplici significatione merito dici potest Laghe. Primo dicitur Laghe quasi ambulantium insidiae. Secundo dicitur Laghe quasi palustris et basse iacens, quod universorum oculis perspicuum est et inundantium temporibus aquarum experientia docet. Tertio dicitur Laghe quasi universalis terrae plaga per unius adiectionem

literae, scilicet p. Nam ab initio secundum antiquorum memoriam de hoc loco semper vicini fuerunt plagati.

Alia vindicatio cap. 17.

Alius quidam circa tempora magis propinqua de potentibus, cum in parva, nescio qua re, contra monasterium offensus esset, occasionem damnificandi et exactionandi quaesivit et adinvenit. Cum quibusdam ergo decrevit, conclusit et obtinuit a monasterio pecunias extorquere, sicut et extorsit. Sed quid secutum est? Mox post unius anni curriculum eadem die, qua hoc iniustitiae et impietatis commentum fermentatum fuit, uxor illius principalis exactoris defuncta et ad monasterium est delata, quae tamen huic violentiae non putabatur consensisse. Ipse quoque de post in corpore deperiit, ut vix deinceps bonum diem habuisse putaretur. Cooperator quoque principalior et inventor et de exactione participans improvisa et miserabili de post morte extinctus fuit. Similiter alii consentientes et adiuvantes nunquam de post prosperari, sed deperiisse ac defecisse dicuntur.

Praedictorum confirmatio. Cap. 18.

Cum itaque, ut praedictum est, placuit Domino respicere populum suum, continuo post guerras et pressuras huic terrae multipliciter benedixit, siquidem pro uno castro iure pignoris ad breve tempus sublato integrum territorium hereditarie reddidit, hoc est territorium Stenvordense¹⁾; urbes et castra adiecit, scilicet bona castri de Ottensteen²⁾. Insuper terram hanc iam temporali pace coronavit et a violentis gravedinibus misericorditer serenavit et adeo laetam quiescere fecit ac securam, ut nec quidem senes a senioribus suis tantam in ea pacem ac rerum temperiem audierint.

¹⁾ Mit Ludolf VI. († 1421) erlosch der Mannesstamm des Steinfurter Hauses, und die Herrschaft ging an Eberwin von Güterswick, den Witwer von Ludolfs Erbtöchter Mechtild über, denselben, der auch Bentheim erbte.

²⁾ Es handelt sich um die Solmsschen Güter. Agnes von Solms war mit Otto von Bronkhorst verheiratet. Deren Tochter Gisberta brachte den Besitz durch Heirat mit Eberwin an Bentheim-Steinfurt.

Et in medio eius stat Nemus beatæ virginis quasi quidam paradus amoenitatis. Et quis hanc terram guerris olim assuetam in tanta iam pace securavit nisi certe, qui Aegyptum quondam propter inhabitantes filios Israel benedixit?

Et unde istud monasterium in medio nationis pravae ac perversae quasi in paradiso sic residet secure? Non utique propter aliam causam, quam quod in ipso monasterio Dei timor, regularis institutio, primitivus fervor, pura caritas, humilitas, oboedientia, simplicitas et super omnia animarum zelus sine personarum acceptione laborque manuum morumque ac totius monasticae vitae disciplina vigere debent ac debeant. Quamdiu ergo haec in ista domo cum Deo permanserint pacis foedera, etiam sine dubio tranquillitas et salus erit. Et quam cito ista fundamenta defecerint, etiam domus ipsa cadet et erit ruina illius magna.

Ex ista itaque divinae protectionis multiplici experientia et effectu patenter claret, quod utique illa quondam beatæ Mariae virginis revelatio et divina promissio fuerit verissima, qua hoc suae foundationis monasterium sublimi quadam gratia benedixit dicens: „Quamdiu fratres isti in prima institutione permanserint et me in speciali veneratione habuerint, ero eis in corporalibus et spiritualibus, in temporalibus et aeternis praesidium ac tutela, consolatrix et patrona. Et dilectus filius meus erit eis contra omnium insidias inimicorum turris fortitudinis et murus securitatis ita, ut, si etiam totus mundus se eis obiceret, praevalere tamen nullatenus deberet.“ Haec etiam superius¹⁾ iam plenius dicta sunt.

O gloriosae matris benedictio! O salutaris revelatio! O fidelis promissio, quam utique iam, iamque per multos annos esse veram et memoria dignissimam multiplex rerum effectus comprobavit effectus [!].

Tu itaque, o benedicta virgo, aspice de sede sancta tua et cogita de nobis, inclina, o piissima mater, aurem tuam et audi et nostris necessitatibus semper assiste. Tu nos tuere et adiuva in hac misera vita et tandem fac nos gaudere tecum de filio tuo in patria. Amen.

¹⁾ S. 24.

Conclusio cum exhortatione et apologia. Cap. 19.

Iam nunc pollicitationi in prologo prius factae¹⁾ in aliquo satisfacisse sufficiat, videlicet de monasterii Nemoris beatae Mariae virginis prope Noirthorn in Vrendeswede institutione, protectione ac defensione, prout ad aliorum aedificationem convenientius visum fuit.

Nam hic multis pro sua institutione salutis exempla proponuntur. Primum religiosi ac studiosi. Nam si multum ad nos et supra nos esse putamus virtutes apostolorum ac primitivorum sanctorum imitari causantes illos maiori spiritus gratia repletos aut certe eorum, de quibus liber „Vita sanctorum patrum“²⁾ refert, strenuitatem, paupertatem, labores, ieiunia, vigiliis, triduanam et ampliorem inedia aliaque plura in diversis commendabilia, quos et corpore et loco nobis fortiores et eminentiores aestimamus, licet eos in multis sequi possemus, si nosmet ipsos non nimium amaremus, cum utique et ipsi homines fuerint sicut et nos, si inquam illos sequi quasi eminentiores et longe positos non possumus aut non volumus, pudeat saltem vel propinquiores non imitari. Nam ecce, e vicino nobis viri virtutum proponuntur, qui paene eodem aut certe eodem nobiscum tempore et loco fuerunt, eadem circumdati infirmitate et gratia eadem indigentes et pro eodem praemio decertantes. Et plane pro nobis ipsi laboraverunt et quietem ac necessaria procuraverunt, et utique pro tanto illis ferventiores esse debemus. Et quomodo excusabiles erimus, si eorum laboribus abutimur et virtutes non imitamur? Aut quomodo cum illis speramus et praesumimus coronari, quorum operationes et patientiam sequi aut negligimus aut recusamus?

Pudeat itaque hactenus vel dissolute vel negligenter vixisse et quantocius arctioris ac melioris instituti proposita collocemus. Conemur secundum Dei timorem in sacra scriptura traditum regulariter conversari, divina praecepta, consilia, regulam ac statuta renovato zelo servantes. Non potest mens per torporem veterascere, quae per desiderium semper studet inchoare. Conemur vitiorum ac passionum radices, etsi nondum possumus evelere, saltem mortificare, quae Deus utique tam districte prohibet et severe punit.

¹⁾ S. 3.

²⁾ *Bei Migne, Ser. lat. 73/74.*

Concupiscentiam carnis et oculorum superemus. Et habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus et haec maximam voluptatem et abundantiam reputemus. *Sint ergo mores sine avaritia*¹⁾, ut ait apostolus ad Hebraeos 13., *contenti praesentibus. Ipse enim dixit: Non te deseram neque derelinquam*²⁾ et primae ad Timotheum valde curat avisare et cautos facere dicens: „*Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli*“ etc. *Radix omnium malorum cupiditas*³⁾. O quanta mala! Sed, proh dolor, haec prope advertit nullus. Nam Dominus conqueritur Amos 9.: „*Avaritia in capite omnium*“,⁴⁾ et Jeremiae sexto [!]: „*A minore quippe usque ad maiorem omnes avaritiae student, a propheta usque ad sacerdotem omnes faciunt dolum*“⁵⁾. Et utinam vel ipsi clerici et religiosi haec attenderent et ad ea, quae abiecerant, quando proprii carentiam voverunt, non ignominiose sicut *canis ad vomitum*⁶⁾ reverterentur! Paupertatem magnifice laudant et praedicant. Ipsimet cupiditate pudenda plenissimi quasi ad omnia inhiant et ideo multos offendunt et scandalizant. Et usque adeo excaecantur, ut non videant, quod, quantum substantia crescit, tantum etiam sollicitudo et cura augentur et e converso Dei timor et spiritualia exercitia et delectamenta in eis evanescent. Et propter magis tenuem substantiam praedecessores minori sollicitudine gravati amplius in timore Domini et virtutum exercitiis quieti proficere poterant, sed isti e contrario. Et ea, quae tam anxie congerunt, ingratis relinquunt, qui de illis vix recogitant. Sed *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum faciat?*⁷⁾ Hoc Dominus satis sollicite inculcat. Et iterum Lucae duodecimo diligenter avisat Dominus dicens: „*Cavete ab omni avaritia!*“⁸⁾ et addit similitudinem terribilem de divite, cuius substantia valde creverat, ut ipse horrea maiora faceret et bona sua reponeret fruenda in multos annos, sed nec una die illis usus est. Et similiter multis contingit, quorum cum divitiae valde creverint, moriuntur ipsi in anima pauperrimi. Est ergo quaestus magnus pietas cum sufficientia.

1) *Hebr. 13, 5.*

2) *1. Tim. 6, 9.*

3) *1. Tim. 6, 10.*

4) *Amos 9, 1.*

5) *Jerem. 8, 10.*

6) *Prov. 26, 11.*

7) *Matth. 16, 26*

8) *Luc. 12, 15.*

Ambitionem quoque strenue contemnent, quod Dei servi sumus, summam ingenuitatem ac dignitatem reputemus. Rancores quoque et contentiones vincamus, et caritas nostra magis ac magis abundet. Quod fiet, si simus invicem benigni et misericordes et donantes invicem et cum patientia supportantes invicem, ut et maiores minoribus condescendant nec putent sibi semper licere, quod libet, nec dicant: „Quare ista non facerem aut quem interrogarem?“ Et sicut alios ad minora volunt arcere, sicut ipsi, minima non omittant, alias oblocutiones et murmurationes fiunt, quarum ipsi occasio esse videntur. Nec dicant: „Quis potest omnibus obtemperare vel omnes aedificare?“ utique *spectaculum facti angelis et hominibus*¹⁾ et in signum positi. Valde ergo pensandum: *Etsi omnia licent, sed non omnia expediunt*²⁾. Summopere ergo cavendum, ne cui ponamus offendiculum. In eo namque tantum quis rite maior est, si et se et alios et omnia secundum timorem Domini dirigat et disponat et, quomodo haec faciat, die noctuque practicet ac penset. Ipse quoque reprehensibilia diligentissime caveat, qui alios reprehendit, et quae alios iubet, in se ipse primum exprimat. Sic enim Ambrosius ait³⁾: „*Nemo in se debet, quod in alio reprehendit, imitari*“ et ecclesiasticus: „*Rectorem te posuerunt; esto inter illos quasi unus ex illis*“⁴⁾. Tunc enim recte dicere poterit: „Quod me videritis facere, omnes facite.“ Hoc enim tantum modo in Christum non peccabit neque percutiet conscientiam eorum infirmam, pro quibus mortuus est Christus.

In humilitate firmiter fundemur, omnes alterutrum superiores arbitantes. Inexcusabiles sumus, si Christi doctrinam non servamus: „*Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*“⁵⁾, propter quam nobis inculcandam simul et propter redemptionem nostram ipse de coelis ad terras descendit.

Concordiae unitatem maxime servemus, invicem portando et suspensiones non admittendo et saltem leve verbum sustinendo, cum vix maior nobis tolerantia immineat. Et nemo potest servare concordiam nisi per patientiam.

His itaque et similibus praedecessores patres imitari studeamus, quia, cui haec ad manum non sunt, in tenebris est et tene-

¹⁾ 1. Cor. 4, 9.

²⁾ 1. Cor. 6, 12.

³⁾ Ich habe das Zitat nicht auffinden können.

⁴⁾ Ecclesiastic. 32, 1.

⁵⁾ Matth. 11, 29.

brae excaecaverunt cor eius, et huius vana est religio. Et ideo die ac nocte et omni hora cordialiter pensare et praticare oportet, quomodo haec obtineamus et in his proficiamus diligenter attendentes, ubi deficimus, et causam acute investigemus et quomodo illi defectui obviandum sive declinando ut voluptates et societates malas aut resistendo ut alia vitia et peccata aut regendo ut officia et actiones.

Et super omnia Mariae et sanctorum patrocina imploremus pro Dei gratia, ne de die in diem aut certe de anno in annum sine profectu transeamus. Pro singulis etiam excessibus aliquam peculiarem poenitentiam faciamus, puta legendo Pater noster vel psalmum aut plus secundum exigentiam culpae.

Sic sollicitis et districtis gratia Dei et virtutes non facile deerunt et deficere non facile vacabit. Negligentibus vero et non curantibus gratia Dei et virtutes non facile aderunt et culpa non deerit. Per gratiam enim Dei in nobis est, si proficere volumus. Et ideo si non facimus, inexcusabiles sumus. Itaque ferventes esse oportet et in hoc consolari, quod ait apostolus: *Tempus breve est*¹⁾. Et ideo labor cum fine et merces sine fine. Amen.

Haec itaque ad Dei gloriam et beatae Mariae virginis honorem et aedificationem hominum de prioris beneplacito compilata et illius correctioni oblata sufficient. In quibus a veritatis tramite deviasse in nullo conscii sumus, sed vera tantum volumus et intendimus. Non enim iniusta cuiuspiam vel laudatione vel vituperatione Deo placere possumus, sed Christi dona et Mariae patrocina et salutis exempla gratanter commemoramus. Sed nec omnia, quae novimus, recitamus, imo edicimus vix minimam partem bonorum hic tangi multoque maiore esse, quae latent. Nos tantum spicas, ut praefertur²⁾, remanentes collegimus, plura vero ac maiora, scilicet messis ubertatem Boos ipse, cuius *si fortitudo quaeritur, robustissimus*³⁾ est, recolligit, qui parva et magna, singula et omnia cum gloria revelabit et aeternis praemiis supercopiose remunerabit, cum iam permundaverit *aream suam et triticum in horrea sua*⁴⁾ recollegerit. Ipse et nos sua nunc gratia regere ac tandem aeterna gloria munerare dignetur. Amen.

1) 1. Cor. 7, 29.

2) Vgl. S. 3.

3) Job 9, 19.

4) Matth. 3, 12.